WAGNER, Friedrich.
De ominibus quae ab Augusti temporibus usque ad Diocletiani aetatem Caesaribus facta traduntur.

DE OMINIBUS

QUAE AB AUGUSTI TEMPORIBUS USQUE AD DIOCLETIANI AETATEM CAESARIBUS FACTA TRADUNTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE IENENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS WAGNER

ALTENBURGENSIS.

IENAE

TYPIS NEUENHAHNI

MDCCCLXXXVIII.

Illis saeculis, quibus Caesares imperium rei publicae Romanae obtinebant, nescio an superstitio maior fuerit, quam reliquis omnibus temporibus. Maxime floruit opinio deos futura praesagiis et ostentis praedicere solere. Atque non solum vulgus indoctum, verum etiam eruditorum et sapientium magna pars ominibus fidem habuit.

Itaque cum ominum, quibus futura recte praenuntiari homines arbitrati erant, praedictionibus virorum consilia dirigerentur, factum est, ut per totam illam aetatem, ab Augusti imperio usque ad ea tempora, quibus christiana religio ceteros cultus superabat, ad res gerendas omina permultum valerent. Magna facinora praesagiorum fiducia incepta aut omissa sunt, imperatores multi ea tantum de causa principatum nancti sunt, quod ostentorum adhortationibus freti illam dignitatem summa ope appetiverunt.

Reliqua omnia multo antecedunt et numero et celebritate ea omina, quae ad Caesares ipsos spectant, sive imperium eis ostendunt sive mortem sive aliam rem. Atque cum nobis proposuerimus, de ominibus, quae per illam aetatem Caesaribus evenisse traduntur, agere, quod arbitrati sumus rem esse dignam, ut accuratius in eam inquiratur, hanc rationem instituimus, ut hac dissertatione primum cuncta omina ad imperatores spectantia, quae apud rerum scriptores reperiuntur, collegerimus atque in singulos Caesares, quorum sive imperium sive mortem sive victoriam aliumve casum ostenderint, distribuerimus, dein demonstrare conati simus, quibus de causis factum videatur, ut apud nonnullos principes tantus numerus ominum imperii commemoratus reperiatur, apud complures alios tot praesagia mortis occurrant.

Postea hanc materiam etiam alios in modos tractare in animo habeo.

Sed priusquam ad propositum accedamus, non alienum puto, attingere nonnulla, quae videntur esse idonea, ut ex iis cognoscatur, quantum illis temporibus ominum fiducia valuerit.

Non habemus in animo, exemplorum, quae a rerum scriptoribus nobis tradita sunt, magno numero nixi accuratius et uberius persequi, quantopere illa aetas diversissimos in modos vaticiniorum fidei subiecta fuerit[1]); duobus modo momentis adhibitis ominum prodigiorumque vim et potentiam illustrabimus: Primum de rerum scriptoribus nobilissimis illius aetatis pauca disseremus, ut cognoscamus eos non modo ea de causa diligenter atque copiose de ominibus factis rettulisse, quod ii, a quibus legerentur, ominum fiducia tenerentur, sed etiam, quod et ipsi — viri eruditissimi — huic superstitioni dediti erant; deinde demonstrabimus, ex magno exemplorum numero nobilissimis adductis, facinorum celeberrimorum, quae per illud temporis spatium suscepta sint, partem non exiguam maxime ab ominibus et prodigiis originem duxisse.

Atque e scriptorum numero Cassium Dionem, Suetonium, Herodianum, quos nobilissimos esse arbitrati sumus, elegimus. Cornelium Tacitum ea de causa hoc loco negleximus, quod de eius superstitione optime egit Nipperdey[2]), vir doctissimus.

C a s s i u s D i o C o c c e i a n u s rerum scriptor in hominibus superstitiosissimis habendus est. Permulti exstant loci in eius opere, unde, quanta fuerit eius superstitio, perspici potest. Longum est, omnes locos adducere, e quibus clare et luculenter elucet, quantum ille ominibus tribuerit, quare in animo habemus, ex permagno numero paucos modo eosque, qui gravissimi nobis videntur esse, eligere.

---

1) cf. L. Friedländer, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms. 3. IV, et J. Burckhardt, Die Zeit Constantins des Grossen. 2. Auflage. p. 10, 11.

2) Cornelius Tacitus erklärt von Karl Nipperdey. 1. Band. Einleitung.

Nescio an quid clarius demonstret, quantum Dio prodigiis tribuerit, quam quod librum composuit de somniis atque prodigiis, ex quibus Septimius Severus se imperium nacturum speraverit (Epit. LXXII 23. 1). Cum de prodigiis agat, quibus Domitiani mors praecognita sit, affirmat nunquam tale quid fieri nisi ostentis antea praenuntiatum (Ep. LXVII. 16. 1. *καὶ οὐ γάρ ἐστιν οὐδὲν τῶν τηλικούτων ἀπρόοπτον*). Ominibus ipsis, quorum hoc loco mentionem facit, maxime commovetur. Nonnullis levioribus signis memoratis accedit ad narrandum illud, quod Larginus Proculus perpessus sit, hisce verbis usus: *ὃ δὲ δὴ μάλιστα διὰ πάντων ἄξιον θαυμάσαι ἐστί* ... (Ep. LVII 16. 1). Cum depinxerit quomodo illi, qui, ut canibus dilaceraretur, futurum esse praedixerat, talis mors obtigerit, qualem se perpessurum esse praenuntiaverat, quamvis Domitianus enixus sit, ut eum alio supplicio afficeret (Ep. LXVII 16. 3), huius modi verba facit: *ἔχω δὲ καὶ ἄλλο τι εἰπεῖν παραδοξότατον, ὃ ἐπειδὰν περὶ τῆς τελευτῆς αὐτοῦ φράσω, σημανῶ* (Ep. LXVII 17. 1). Dein Domitiani caede narrata reversus illuc, unde deflexit, pergit in hunc modum: *ὃ δ' εἶπον ὅτι ὑπὲρ πάντα τἆλλα θαυμάσας ἔχω, τόδ' ἐστίν* (Epit. LXVIII 18. 1). Tunc narrat Apollonium Tyaneum eadem die eademque hora, qua Domitianus Romae interfectus sit a Stephano quodam, Ephesi exclamavisse: „Bene Stephane! occide cruentatum.“ Postquam hoc prodigium nuntiavit, verba adiicit: *τοῦτο μὲν οὕτως ἐγένετο, κἂν μυριάκις τις ἀπιστήσῃ* (Ep. LXVII 18. 2). Rem simillimam ei, quam inter prodigia mortem Domitiani significantia de Apollonio Tyaneo refert, commemorat, cum de ominibus, quae caedem Antonini Caracalli ostenderint, verba faciat, atque illo quoque portento valde commovetur. Leviore signo narrato pergit: *ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἧττον ἄν τις θαυμάσειε· τὸ δὲ δὴ μέγιστον* ... (LXXVIII 8. 1. 2); dein tradit ab aurigis victis cornicem, quae in obelisco sedens ululasset, subito quasi una voce „Martialis“ nominatam atque salutatam esse, non quod avi nomen Martialis fuisset, sed quod aurigae Antonini interfectorem, cui illud nomen erat, divina quasi providentia salutare voluisssent.

Cum inter Clodium Albinum et Septimium Severum bellum exarsisset, compluribus portentis animus Dionis sollicitudine afficiebatur. Nam cum plebs in circo ludis adesset, subito atque una quasi voce conclamavit et pacem flagitavit (Ep. LXXV 4. 2—6). Dio adiicit: *οὕτω μὲν ἔκ τινος θείας ἐπιπνοίας ἐνεθουσίασαν* (ib. 4. 5) et *ταῦτά τε οὖν ἔτι καὶ μᾶλλον ἡμᾶς ἐτάραττε* (ib. 4. 6). Dein refert subito ignem esse conspectum septentrionem versus tam ingentem, ut aliis tota urbs aliis coelum totum ardere videretur (ib. 4. 6). Denique narrat de coelo in forum Augusti cecidisse corpusculum argenteum, quo aliquos nummos argenteos fecerit (ib. 4. 7 *ὃ δὲ δὴ μάλιστα θαυμάσας ἔχω*).

Saepius vocabula *ἐναργής ἐναργέστατος σαφέστατος* adhibet, ut demonstret, quam evidenter res quaedam praenuntiata sit, ut XLVII 1. 1: *καίπερ ἐναργέστατα μὲν καὶ πρότερον, σαφέστατα δὲ καὶ τότε τὸ μέλλον ἔσεσθαι προμαθόντες·* vel Ep. LXIV 1. 1 *προεῖπε δὲ καὶ σημεῖα ἐναργέστατα* vel LXXVIII 30. 1 *καί μοι δοκεῖ ἐναργέστατα καὶ τοῦτο, εἴπερ τι ἄλλο τῶν πώποτε, προδειχθῆναι.*

Cum ante Commodi mortem templum Concordiae atque palatium magno correpta essent incendio, quod nulla hominum opera ac labore potuit exstingui, Dioni luculenter significatum videbatur malum, quod immineret, non in urbe constiturum, sed per totum orbem incessurum esse (Epit. LXXII 24. 2: *ἀφ' οὗ δὴ καὶ τὰ μάλιστα δῆλον ἐγένετο ὅτι* ... sq.).

Cum Iulianus antequam principatu atque vita privaretur, multos liberos trucidasset, rebus magicis excitatus, irridet Dio hominem, qui se futura vitare posse opinetur, dummodo praecognita habeat (Ep. LXXIII 16. 5: *ὡς καὶ ἀποστρέψαι τι τῶν μελλόντων, εἰ προμάθοι αὐτά, δυνησόμενος*).

Dionem non modo res magnas, sicuti ortum vel mortem imperatorum, verum etiam res parvulas ominibus portendi credidisse elucet ex Ep. LXXI 5. 2. 3, ubi narrat militem, quem quidam irridens *ἔπαρχος* nominaverit, re vera hunc magistratum postea nanctum esse.

Postremo commemoremus, quid Dio Ep. LXXX 5. 3 narret, a deo sibi ostentum esse somnio, ut reliquum vitae tempus in patria sua degeret futurum esse (ὥσπερ ... τὸ δαιμόνιον ... σαφέστατα ἐδήλωσεν).

C. Suetonius Tranquillus quoque credit res futuras prodigiis et signis saepe praenuntiari, quod ex multis locis, qui in eius libris inveniuntur, perspici potest. Non modo omnia signa, quibus ostentum sit sive imperium alicuius sive mors sive aliud eventum, diligentissime commemorat, sed etiam addit saepe „evidentissimum" fuisse omen (Div. Iul. 81: „Sed Caesari futura caedes evidentibus prodigiis denuntiata est"; Div. Aug. 97 „mors quoque eius, de qua hinc dicam, ... evidentissimis ostentis praecognita est"; Nero 6 „futurae infelicitatis signum evidens"; ib. 4. 6 „terrebatur ad hoc evidentibus portentis"; Galba 1 „... compluribus quidem signis, sed vel evidentissimis duobus apparuit"; similiter Galba 8 „haud ambiguum summae imperii signum"; ib. 10 „... ut nemini dubium esset faventibus diis bellum suscipi") vel attingit eventum exstitisse talem, qualem esse futurum omen praedixisset, ut Div. Aug. 96 „neque aliter evenit"; Galba 18 „exitum ei, qualis evenit portenderant"; Vit. 9 „quibus ostentis par respondit exitus"; Div. Vesp. 4 „quantum postea eventu paruit"; ib. 25 „nec res fefellit." Cum unum ex prodigiis, quibus Caesaris interemptio denuntia sit, admodum mirabile ac paene incredibile videatur, commemorat Suetonius auctorem fidelissimum, ne quis rem fabulosam aut commenticiam putet (Div. Iul. 81).

Valde miratur, quod Vespasianus, qui certissimam spem imperii evidentissimis ostentis conceperit, tamen cunctatur, occasionem adipiscendi principatus arripere (Div. Vesp. 6).

Id quod Herodianus de ominibus atque prodigiis censet, aliquantum differt a Suetonii et Dionis opinione. Cum apud hos permulti exstent loci, e quibus, quanta eorum ipsorum fuerit superstitio, cognosci potest, nescio an nullus — exceptis duobus, de quibus infra agemus — apud Herodianum locus

inveniri possit, unde perspicue eluceat eum ominibus atque prodigiis multum tribuisse.

Paucis illis locis — si eum cum Dione componamus —, ubi Herodianus omina affert, plerumque tali utitur elocutione, ut ex eius verbis intellegi non possit, utrum ipse futura illis prodigiis esse praenuntiata crediderit, necne, ut I. 14. 2 *τὸ μέγιστον δὲ δεινόν, ὃ ... πρὸς τὸ μέλλον οἰωνίσματι καὶ φαύλῳ συμβόλῳ χρωμένους πάντας ἐτάραξεν* vel I. 14. 6 *ὅθεν καὶ τὸ πᾶν ἔργον ἐξεθειάσθη, πιστευόντων κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τῶν τότε ἀνθρώπων, ὅτι γνώμῃ θεῶν καὶ δυνάμει ἤρξατό τε τὸ πῦρ καὶ ἐπαύσατο. συνεβάλλοντο δέ τινες πολέμων σημεῖον εἶναι* .... vel I. 14. 7 *ὁ δῆμος ... τὰς αἰτίας τῶν συμφορῶν ... ἀνέφερεν* vel II. 9. 7 *Σεουῆρος ... ἐλπίζων θείᾳ προνοίᾳ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν καλεῖσθαι* vel II. 15. 6 *καὶ σημεῖα θείᾳ προνοίᾳ δόξαντα πολλάκις φανῆναι* vel VI. 8. 6 *πρότερον, ὡς ἔλεγε, χρησμῶν ... προειρηκότων.*

Immo pro nihilo eum duxisse prodigiorum vim atque auctoritatem concludendum esse videtur ex loco gravissimo, ubi, cum commemoraverit Severum somniis et ominibus et prodigiis in spem futuri imperii esse adductum, haec verba adiicit II. 9. 3 *ἅπερ πάντα ἀψευδῆ καὶ ἀληθῆ τότε πιστεύεται ὅταν ἐς τὴν ἀπόβασιν εὐτυχηθῇ.*

Sed quantacunque vis verbis memoratis tribuenda est, tamen Herodianum penitus neglexisse atque pro nihilo duxisse omina contendi non potest. Nam exstant nonnulli loci, ut supra iam memoravimus, qui nos prohibent, ne hanc sententiam amplectamur. Herodianus dicit I. 14. 6: *συνεβάλλοντο δέ τινες πολέμων σημεῖον εἶναι ... τὰ γοῦν ἀκολουθήσαντα, ὡς ἐν τοῖς ἑξῆς ἐροῦμεν, ἐκ τῆς ἀποβάσεως τὴν προϋπάρχουσαν φήμην ἐπιστώσατο.* Praeterea, cum commemoraverit Severum imperium sibi ominibus denuntiatum esse existimasse, II. 9. 4 *τὸ δ' οὖν τελευταῖον καὶ μέγιστον, ὅπερ αὐτῷ καὶ τὴν ἐλπίδα πᾶσαν ὑπέφαινεν ὄναρ, οὐ δ' ἡμῖν παραλειπτέον.*

Inde clare elucet, ne Herodianum quidem, quamvis homo minus, quam alii, superstitiosus existimandus sit, ut demonstra-

vimus, ad illam superstitionis contemptionem pervenisse, ut nihil ominibus atque somniis tribueret.

Sequitur, ut nonnulla facta, quae maxime ominibus procreata nobis videntur, enumeremus, unde eluceat, quantum omina tunc valuerint.

Dio [1]) narrat Tiberium ab eam maxime causam Gaio magis favisse, quam Tiberio Drusi filio, quod futurorum providus Gaium hunc occisurum esse scivisset.

Caligula, qui postea a Cassio Chaerea occisus est, oraculo terrebatur, quod monuit, ut Cassium caveret. Itaque G. Cassium Longinum Asiae tum proconsulem vinctum arcessivit, arbitratus ad illum spectare oraculum, quod ille originem a Cassio, interfectore Caesaris, duceret [2]).

Nero ab Apolline Delphico septuagesimum ac tertium annum sibi cavendum esse audivit, ex quo oraculo, quasi tum demum obiturus spem senectutis et perpetuae felicitatis concepit [3]). Non est dubitandum, quin illius vaticinationis fiducia, una cum aliis levioribus signis, multum attulerit, ut Nero Galliae motus et seditionem Vindicis, unde interitus sibi postea exstitit, initio tam parvi habuerit [4]).

Galbam res novas temptantem et principatum affectantem nulla re tantopere confirmatum esse Suetonius [5]) affirmat, quam mulae partu, quem pro laetissimo omine accepisset Galba, quod quondam avus, cui prodigio facto responsum esset posteros summum imperium nancturos esse, edidisset: „Sane, cum mula pepererit!“ Eiusdem Galbae anxii, cum a Nerone clam

---

1) LVIII. 23. 1—3; cf. etiam Tac. ann. VI. 46.

2) Suet. Calig. 57; Dio LIX. 29. 3.

3) Suet. Nero 40, si quis censeat talibus, qualia de Tiberii et Gai superstitione supra rettulerimus, nihil posse demonstrari, quod illae duae narrationes fortasse postea fictae sint, contendere possumus, hoc exemplum optimo iure a nobis adhibitum esse, nam si postea fictum esset, certe non annum septuagesimum tertium, sed eum, quo re vera Nero periit, nominatum esse arbitramur.

4) Suet. Nero 40. 41.

5) Galba 4.

insidias sibi parari, cognovisset, animum recreavere secundissima auspicia et maxime virginis honestae vaticinatio [1]).

Etiam Otho maxime mathematicorum praedictionibus incitatus est ad principatum appetendum, quod apud Suetonium [2]), Tacitum [2]), Plutarchum [2]), nobilissimos fontes, accuratius et uberius tractatum legere licet.

Iudaeorum magnam seditionem, quae postea a Tito exstincta est, nihil aeque inflammaverat et auxerat, ac vetus illa vaticinatio: fore, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur [3]), et prophetarum falsorum praenuntiationes adhortationesque [4]); atque versimile est Hierosolyma non deleta esse, nisi Iudaei superstitione et praenuntiationum fiducia decepti obliti essent, quantopere ipsorum opes a Romanorum potentia superarentur.

Vespasianus quoque in eis habendus est imperatoribus, quorum animos maxime fides, quam vaticinationibus, prodigiis, oraculorum responsis habebant, ita confirmavit, ut potestatem imperatoriam affectare susciperent. Quamquam scriptor nullus — excepto Orosio [5]) — claris directisque verbis affirmat Vespasianum maxime ominum pollicitationibus incitatum esse, tamen rem ita sese habere e scriptorum verbis satis dilucide apparet. Quantam fiduciam Vespasianus futurorum praenuntiationibus habere solitus sit, nescio an quid melius illustret, quam verba Taciti [6]), qui dicit: „nec erat intactus tali super-

1) Suet. Galba 9.

2) Suet. Otho 4 „... spem imperii cepit magnam quidem et ex conditione temporum, sed aliquanto maiorem ex affirmatione Seleuci mathematici“; Tac. hist. I. 22; Plut. Galba 23.

3) Suet. Vesp. 4; Tac. hist. V. 13; Oros. VII. 9. 2.

4) Ios. bell. Iud. II. 13. 4 *πλάνοι γὰρ ἄνθρωποι καὶ ἀπατεῶνες, προσχήματι θειασμοῦ νεωτερισμοὺς καὶ μεταβολὰς πραγματευόμενοι, δαιμονᾶν τὸ πλῆθος ἀνέπειθον, καὶ προῆγον εἰς τὴν ἐρημίαν ὡς ἐκεῖ τοῦ θεοῦ δείξοντος αὐτοῖς σημεῖα ἐλευθερίας.* ib. 13. 5; arch. XX. 5. 1; cf. etiam Mommsen, Röm. Gesch. V. 2. Aufl. pag. 527, 528, 530, 531 et Schiller, Gesch. der Röm. Kaiserzeit, pag. 387, 388.

5) Oros. VII 9. 3.

6) Hist. II. 78.

stitione, ut qui mox, rerum dominus, Seleucum quendam, mathematicum, rectorem et praescium palam habuerit."

Admodum multa exstant exempla, unde Vespasiani superstitionem cognoscere licet.

In Carmelo monte oraculum consuluit, „cum spes occultas versaret animo[1]". Cum Alexandriae versaretur, templum Serapidis adiit, „ut super rebus imperii consuleret", atque prodigio ibi facto valde commovetur[2]). Quantum afuerit, ut Josephi — quamvis captivi et libertatis cupidi — vaticinationem pro nihilo duceret, apud Josephum[3]) ipsum legere possumus. Cum principatus spes ambiguas suscipere cunctaretur, sui „responsa vatum et siderum motus" referre coeperunt, persuasi, talibus Vespasianum posse commoveri[4]).

Itaque — existimo — contendere possumus nihil aeque Vespasianum, cum talis fuisset, confirmasse et impulisse, atque ominum et prodigiorum, quae ei a prima pueritia oblata erant, ingentem numerum, et nescio an Flaviorum domus nulli rei magis principatum debuerit, quam Vespasiani superstitioni.

Domitianus Vespasiani filius nobilissimorum genituras inspexit atque eos, e quibus perniciem vitae imperioque suo exsistere posse astrologi affirmabant, interfecit[5]). Atque nihil tantopere Nervae persuasit, ut pateretur, fore ut ipse Domitiano necato imperator fieret, quam quod se quoque astrologorum invidia in suspicionem Domitiano venisse haud ignorabat[6]). Quae Domitianus appropinquante tempore, quo eum periturum esse Chaldaei praedixerant, sollicitudine et timore

---

1) Suet. Vesp. 5; Tac. hist. II. 78.
2) Suet. Vesp. 7; Tac. hist. IV. 82.
3) Bell. Iud. III. 8. 9; IV. 10. 7.
4) Tac. hist. II. 78.
5) Dio LXVII. 15. 6; cum nonnulli principatum, quem signis freti appetiverunt, re vera adepti sint, tamen multo pluribus sive, quod de imperio futuro sciscitati essent, sive genitura ipsa perniciem attulit; cf. etiam Dio Ep. LVII. 12. 2—4; Spart. Hadr. 23. 3; Dio Ep. LXXVI. 8. 1; Spart. Sev. 15. 5; Dio LXXVIII. 2. 3.
6) Dio Ep. LXVII. 15. 5.

in dies magis excruciatus egerit et confecerit, a Suetonio [1]) nobis tradita sunt.

Quantum illis temporibus ominum fiducia valuerit ad rerum mutationem, nescio an nulla re clarius cognoscere possimus, quam si Septimii Severi domus fortunam contemplemur. Id enim demonstrare conabimur imperium Septimii Severi eiusque filiorum maxime ominum vi atque auctoritate, ut ita dicamus, et creatum et deletum esse.

Ex Herodiani et Dionis verbis elucet Severum nulla re ad principatum arripiendum tantopere incitatum esse, quam somniorum atque oraculorum vaticinationibus. Herodianus, postquam narravit in castra Severi, qui tunc legionibus Pannoniacis praefuit, nuntium allatum esse Iulianum Romae propter ignaviam et pravitatem omnibus esse odio atque Pescennium Nigrum spem imperii animo agitare, et, quae appeteret, se facile assecuturum esse credere, nuntiat Severum perspecta adversariorum perversitate, cum esset animo acerrimo et velocissimo, hanc principatus adipiscendi occasionem considerasse, quibus expositis pergit in hunc modum: *ἀνέπειθε δὲ αὐτὸν ὀνείρατα τοιαύτην τινὰ ἐλπίδα ὑποσημαίνοντα, χρησμοί τε καὶ ὅσα ἐς πρόγνωσιν τῶν μελλόντων σύμβολα φαίνεται* [2]). Atque cum somnii celeberrimi, cuius aeneum simulacrum Severus in foro collocasset, mentionem fecisset, redit ad rerum narrationem hisce verbis usus, quibus, quid nobilissimum incitamentum fuerit, iterum dilucide exprimitur: *οὕτω τοίνυν ὁ Σεουῆρος ἀρθεὶς τὴν γνώμην, ἐλπίζων τε θείᾳ προνοίᾳ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν καλεῖσθαι, ἀπόπειραν ἐποιεῖτο τῆς τῶν στρατιωτῶν γνώμης* ... [3]).

Etiam Cassius Dio testatur Severum signis in spem futuri imperii adductum esse (Ep. LXXIV. 3. 1. 6 *σημεῖα δὲ αὐτῷ, ἐξ ὧν τὴν ἡγεμονίαν ἤλπισε, ταῦτα ἐγένετο*), quamquam non tam clare et luculenter, quam Herodianus, demonstrat Severum ominum hortatu maxime fretum principatum appetivisse

1) Dom. 14—16.
2) II. 9. 3.
3) II. 9. 7.

— nescio an Dioni minus mirabile atque memoratu dignum visum sit, quod Severi consilia prodigiis et somniis regebantur, quam Herodiano multo minus superstitioso.

Quantopere Severus iam multo ante semper de imperio futuro cogitaverit, optime illustratur nonnullis rebus, quarum Spartianus mentionem facit. Omen futurae felicitatis sibi arripuit Severus, quod hospes, quem Romae nanctus est, eadem hora Hadriani vitam imperatoriam legit [1]). Uxore mortua, cum aliam ducere vellet, requisitis sponsarum genituris elegit Iuliam, cuius eam esse genituram compererat, ut regi iungeretur [2]). In Sicilia reus factus est, quod de imperio vel vates vel Chaldaeos consuluisset et absolutus videtur esse non tam propter innocentiam, quam propter odium Commodi tunc regnantis [3]).

Praeterea multa possumus persequi exempla quae demonstrant, quantam fidem Severus ominibus vaticiniis somniis habere sit solitus, quo facto sententiam nostram, quam de Severiani principatus origine Dione Herodianoque auctoribus edidimus, firmari arbitrati sumus [4]).

Nunc exponamus, quomodo factum sit, ut Caracalla, Severi filius, imperio et vita privaretur.

Scriptorum, qui nos de his rebus certiores faciunt, magna pars breviter modo attingit Caracallae mortem. Aurelius Victor [5]) nuntiat, a milite sui exercitus eum interfectum esse. Zosimus [6]) dicit eum esse occisum, interfectore nunquam cog-

1) Sev. 1. 6.

2) Sev. 3. 9; Geta 3. 1; Alex. Sev. 5. 4.

3) Sev. 4. 3.

4) ex magno numero duo tantum adhibeamus. Bassianum et Getam filios Antoninos appellavit, quod somniaverat Antoninum sibi successurum esse (Spart. Sev. 10. 3—5; Niger 8. 4. 5; Geta 1; Lampr. Diad. 6. 8. 9); et cum Plautianus, quem usque ad id temporis fidelissimum existimaverat, incusaretur, quod insidias struxisset, ea de causa fidem habuit Severus accusatoribus, quod nocte praeterita somnio Albinum vivum et sibi insidiantem viderat (Dio LXXVI 3. 4).

5) Epit. 37; de Caes. 21: „. . . anno potentiae sexto moritur."

6) I. 10.

nito; apud Orosium[1]) legimus ab hostibus circumventum periisse Caracallam; paulo uberius narrat Spartianus[2]) eum insidiis a Macrino praef. praet. positis interemptum esse a Martiale quodam consciis nonnullis aliis exercitus ducibus.

Scriptores, qui nobis copiosius tradunt, quo modo Caracallae caedes effecta sit, sunt Herodianus et Dio eumque secutus Zonaras, quorum narrationem respicere ob eam maxime causam interest, quod hi scriptores soli nobis exponunt, quibus rebus adductus Caracallae necem Macrinus agitaverit et perfecerit.

Apud Herodianum[3]) legimus Antoninum Caracallam, cum in Mesopotamia versaretur, timentem, ne sibi insidiae pararentur, omnes arripuisse vaticinationes atque magos, astrologos, haruspices undique arcessivisse, ut certior fieret de futuris. Sed cum esset suspicatus ab illis fausta modo et iucunda sibi praenuntiari, Romam Antoninum Materniano cuidam, familiarissimo suo, litteras misisse, quibus iussisset eum de vitae et imperii sui fine per magos nobilissimos inquirere. Maternianum autem, sive re vera deis talia vaticinantibus sive odio Macrini incitatum scripsisse Antonino a Macrino principatum affectari. Has litteras una cum aliis Caracallae esse traditas, cum ille ad ludos se conferre vellet, qua de causa, ne mora exsisteret, eum epistolarum copiam Macrino praef. praet. dedisse, ut epistolis inspectis, quid cognitu dignum videretur, secum communicaret, ut saepius facere solitus esset. Atque tali modo Macrinum comperisse, quid Maternianus de se scripsisset, et cum intellexisset se trucidatum iri, ubi primum Caracalla vaticinationem cognovisset, statuisse, antequam ipse necaretur, Caracallam interficere. Et brevi post Caracallam a Martiale quodam, cui Macrinus persuasisset, ut mortem fratris paulo ante a Caracalla capitis damnati ulcisceretur, necatum esse.

A Dione[4]), quem Zonaras[5]) nobilissima modo attingens

1) VII. 18.
2) Ant. Car. 6. 6 — 7. 2.
3) IV. 12. 3. — 13. 5.
4) LXXVIII. 4. 1 — 5. 4.
5) XII. 12.

sequitur, aliquantulum aliter, atque ab Herodiano, quo modo res evenerint, depingitur. Dio narrat vatem Africanum imperium Macrini et Diadumeniani futurum praedixisse, de qua vaticinatione Flavium Maternianum Caracallam certiorem fecisse. Sed statim etiam Ulpium Julianum de hac re litteras dedisse Macrino ipsi, et cum omnes epistulae, quae Caracallae mitterentur, ante ad Iuliam matrem eligendi causa Antiochiam portatae essent, qua re mora exstitisset, factum esse, ut Macrinus prius, quam Caracalla, vaticinationem cognosceret. Deinde Caracallam auctore Macrino, quem praeterea sollicitasset, quod paulo ante etiam Serapio quidam Aegyptius Caracallam brevi moriturum et Macrinum successorem praenuntiasset, consciis nonnullis ducibus a Martiale occisum esse.

Videmus Herodianum et Dionem in re describenda aliquantulum dissentire, sed utrumque explicare Macrini consilium Caracallae interficiendi ex illo vaticinio originem duxisse. Quod Dio rem admodum aliter describit, atque Herodianus, intellegere possumus, alium ex alio fonte hausisse, qua re auctoritas argumenti, quod attinet ad illam vaticinationem, augetur.

Herodiani verba *εἰδώς τε (Μακρῖνος) τοῦ Ἀντωνίνου τὸν θυμὸν καὶ τὸ φονικὸν ἐπὶ τοιοῖσδε γράμμασι, καὶ πρόφασιν αὐτῷ εὔλογον ὑπάρξουσαν, τὴν μὲν ἐπιστολὴν ὑφαιρεῖται* [1]) nescio an quis talem in modum interpretetur, ut censeat Macrinum existimasse Caracallam illa vaticinatione praetextu usurum atque non tam metuentem re vera eam quam metum modo simulantem praefectum praetorio suum, sibi invisissimum [2]), e medio sublaturum esse. Sed, qui legerit non solum apud alios scriptores, sed etiam apud ipsum Herodianum [3]), quam deditus fuerit Caracalla magorum et astrologorum artibus [4]) et quantum valuerint apud eum oracula et vaticina-

1) IV. 12. 8.
2) IV. 12. 1—2.
3) IV. 12. 3—4.
4) commemoremus Caracallam quoque, sicut Domitianum, requisitis nobilissimorum genituris alios honoribus alios supplicio affecisse (Dio LXXVIII. 2. 3).

tiones, facile intelleget Caracallam re vera superstitiosissimum fuisse neque opus fuisse odio Macrini cognito illo vaticinio ad Caracallam incitandum, ut Macrinum interficeret.

Atque contendere possumus duorum nobilissimorum fontium auctoritate nixi illam vaticinationem et imperio et vita Caracallam privasse.

Itaque demonstratum esse existimo, quod demonstrare mihi proposui, Severianam domum et nanctam esse et amisisse principatum maxime oraculorum ominumque potentia.

Hanc rem ea de causa uberius et copiosius tractavi, quod exemplum evidentissimum et illustrissimum mihi videbatur esse, ex quo eluceat, quantopere omina tunc vel res maximas moderarentur; primum enim omina re vera vim haud spernendam exercuisse facile monstrari potuit, deinde hanc vim exercitam esse in re celeberrima, qualis est fortuna domus Severianae, videmus.

Memoratu dignum esse existimo etiam Septimii Severi adversarios, Pescennium Nigrum et Clodium Albinum, ominum adhortationibus obtemperasse videri; nam Niger, cum Byzantio contra Severum profectus esset, nonnullis prodigiis ita exterritus est, ut statim Byzantium reverteretur [1]), et Albinum in spem se Severum superaturum imperiumque adepturum esse etiam oraculorum pollicitationibus adductum esse verisimile est [2]).

Macrinus ipse, qui vaticinationis metu, ut ostendimus, impulsus Severo Antonino interitum paraverat, eadem re, qua elatus erat, etiam deperditus est; Eutychianum enim illum, cuius seditione maxime Macrini interitus et Elagabali imperium efficiebatur, vaticiniis incitatum esse apud Dionem [3]) et Zonaram [4]) legimus.

Maximinum, cum Aquileiam obsideret neque expugnare posset, sui milites trucidavere, quod eius imperii finem instare

1) Dio LXIV. 6. 3.
2) Spart. Nig. 8. 1, 2; Capit. Alb. 1. 4; 5. 4, 5.
3) LXXVIII. 31. 1, 2.
4) XII. 13.

credebant. Aquileienses vero ob eam causam tam fortiter restiterant, quod ab haruspicibus cognoverant se esse victuros [1]).

Postremo commemoremus Diocletianum, cui Dryas mulier in Gallia quondam eum imperatorem futurum esse, cum Aprum occiderit, praedixerat, cupiditate imperii incensum in venatibus semper apros occidisse et multo post a militibus Augustum appellatum statim Aprum praefectum praetorio gladio percussisse atque ipsum dixisse „nullam aliam sibi causam occidendi manu sua fuisse Aprum nisi ut impleret Dryadis dictum et suum firmaret imperium [2]).

Aggrediamur nunc ad singula omina apud singulos Caesares deinceps enumeranda.

Tiberius [3]).

Tiberio Caesari imperii omina oblata traduntur compluria atque ea apud Suetonium, Dionem, Tacitum.

> Suet. Tib. 14. „praegnans enim Livia cum, an marem editura esset, variis captaret ominibus, ovum incubanti gallinae subductum nunc sua nunc ministrarum manu per vices usque fovit, quoad pullus insigniter cristatus exclusus est"
>
> „de infante Scribonius mathematicus praeclara spopondit, etiam regnaturum quandoque, sed sine regio insigni, ignota scilicet tunc adhuc Caesarum potestate"
>
> „ingresso primam expeditionem ..., accidit ut apud

1) Herod. VIII. 3. 7, 8; Capit. Max. 22. 1.

2) Vop. Num. 13—15; de imperii Diocletiani fine tradit Aurelius Victor, de Caes. 39: „namque imminentium scrutator, ubi fato intestinas clades, et quasi fragorem quendam impendere comperit status Romani; celebrato regni vicesimo anno valentior curam R. P. abiecit."

3) Omina, quae Augusto obveniebant, hoc loco non enumeravi, cum de ominibus, quae aetate bellorum civilium observata sint, in quibus signa ad Augustum spectantia habenda esse mihi videntur, alio opusculo agere in animo habeam. Quamvis magnum signorum numerum (31[69]) adhuc invenerim, tamen etiam alia, quae Augusto acciderint, investigari posse existimo.

Philippos sacratae olim victricium legionum arae sponte subitis conlucerent ignibus“

„cum ... adisset Geryonis oraculum, sorte tracta, qua monebatur ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos iaceret, evenit ut summum numerum iacti ab eo ostenderent“

„ante paucos vero quam revocaretur dies aquila, numquam antea Rhodi conspecta, in culmine domus eius assedit“

„pridie quam de reditu certior fieret, vestimenta mutanti tunica ardere visa est“

„Thrasyllum mathematicum .... tum maxime expertus est, affirmantem, nave provisa gaudium afferri“ (Dio LV. 11 apud Xiph. ὥστε ... προειπεῖν αὐτῷ ἃ ἀγγέλλειν ἔμελλε. Tac. ann. VI. 21 „Thrasullus ... postquam percontantem commoverat, imperium ipsi et futura sollerter patefaciens“).

A Tacito commemoratur praesagium de Tiberio factum, cum Roma in Campaniam abscederet:

ann. IV. 58. „ferebant periti caelestium iis motibus siderum excessisse Roma Tiberium, ut reditus illi negaretur.“

Alia quoque omnia tunc animadversa esse elucet ex Taciti ann. IV. 64: „feralemque annum ferebant et ominibus adversis susceptum principi consilium absentiae.“

Omina, quae mortem Tiberii significasse videbantur, inveniuntur apud Suetonium, Cassium Dionem, Zonaram, Tacitum.

Suet. Tib. 74. „supremo natali suo Apollinem Temenitem ... advectum Syracusis ut in bibliotheca templi novi poneretur, viderat per quietem affirmantem sibi, non posse se ab ipso dedicari“

„ante paucos quam obiret dies turris Phari terrae motu Capreis concidit“

„Miseni cinis e favilla et carbonibus ad calfaciendum triclinium inlatis, exstinctus iam et diu frigidus, exarsit

repente prima vespera atque in multam noctem pertinaciter luxit"

Cass. Dio LVIII. 26, 5: ὁ Τίβερις πολλὰ τῆς πόλεως ἐπέκλυσεν ὥστε πλευσθῆναι

(Zon. XI. 3; apud Tacitum, ann. I. 76, Tiberis inundatio memoratur, sed cum ea anno 768 a. u. [p. Chr. 15] facta narretur, non videtur esse eadem, quam Tiberii mortem ostendisse Dio nuntiat)

πυρὶ πολὺ πλείω περί τε τὸν ἱππόδρομον καὶ περὶ τὸν Ἀυνεντῖνον ἐφθάρη (Zon. XI. 3; Tac. ann. VI. 45)

ib. 27. 1 ὁ φοῖνιξ ἐκείνῳ τῷ ἔτει ὤφθη (Zon. XI. 3; Tac. ann. VI. 28).

Quae omnia Tiberii mortem denuntiasse Dioni videntur (ibid. 27. 1).

Tiberius ipse providum futurorum se praebuit, quod cognoscimus ex Taciti ann. VI. 46:

„namque Macroni non abdita ambage occidentem ab eo deseri, orientem spectari exprobravit."

Gaius Caligula.

Omina imperii futuri perpauca Gaio sunt facta. Duo inveniuntur apud Suetonium loci, ubi res nobis traduntur, quae nescio an in ominibus imperii habenda sint.

Suetonius narrat, C. Calig. 8, versiculos Gaio imperante esse divulgatos, qui apud hibernas legiones Gaium esse procreatum indicaverint:

„In castris natus, patriis nutritus in armis,
Iam designati principis omen erat"

Quamquam non verisimile est Gaium ibi esse natum (cf. Suet. C. Cal. 8) atque illos versus postea compositos esse perspicuum, tamen non est dubitandum, quin illi homines, qui locum, quo Gaius natus sit, recte illis versibus indicatum esse iudicaverint, persuasum habuerint omen fuisse Gaio, quod in castris patriis in lucem editus sit. Quare, quid illis versiculis nobis nuntiatum sit, inter signa, quae Gaio imperium ostendisse credita sunt, enumerari posse mihi videntur.

Deinde commemorat Suetonius, C. Cal. 19, cum de ponte, quem Gaius inter Baias et Puteolanas moles exstruxit, verba faciat, se puerum avum suum narrantem audivisse causam operis esse, quod Thrasyllus Tiberio in verum nepotem proniori affirmasset „non magis Gaium imperaturum quam per Baianum sinum equis discursurum!" Sed, cum Gaius ponte aedificato re vera per Baianum sinum equo vectus esset, quod nullo modo fieri posse videbatur, non dubium est, quin illud Thrasylli dictum certa praedictio futuri imperii creditum sit.

Cuius opera maxime Gaius principatum nancturus esset, illis Tiberii verbis, quae supra iam memoravimus (Tac. ann. VI. 46: a Macrone orientem spectari; cf. pag. 19), praenuntiatum erat.

Etiam qualis futurus esset, Tiberius Gaio denuntiaverat:

> Tac. ann. VI. 46: „et Gaio Caesari, forte orto sermone L. Sullam inridenti, omnia Sullae vitia et nullam eiusdem virtutem habiturum praedixit" (Dio LVIII. 23. 3: *καὶ ἐκεῖνον κάκιστον εἰδὼς ἐσόμενον.* Zon. XI. 3).

Ominum, quae futuram caedem ostendere videbantur, multo maiorem numerum repperi eorumque plurima apud Suetonium.

> Suet. Cal. 57: „Olympiae simulacrum Iovis, quod dissolvi transferrique Romam placuerat, tantum cachinnum repente edidit, ut machinis labefactis opifices diffugerint; supervenit .... Cassius, iussum se somnio affirmans immolare taurum Iovi"

(Dio LIX. 28. 3, 4; Dio adiicit navem, quae ad transferendum simulacrum exstructa sit, igne caelesti deletam esse. Ominis infausti loco haec esse habita apud Dionem non legimus)

> „Capitolium Capuae Id. Mart. de caelo tactum est"
>
> „item Romae cella Palatini atriensis"
>
> „consulenti de genitura sua Sulla mathematicus certissimam necem appropinquare affirmavit"
>
> „monuerunt et Fortunae Antiatinae, ut a Cassio caveret"

(Dio LIX. 29. 3; a Cassio Chaerea postea occisus est.)

„pridie quam periret somniavit, consistere se in caelo iuxta solium Iovis, ... et in terras praecipitatum“

„sacrificans respersus est phoenicopteri sanguine“

„pantomimus Mnester tragoediam saltavit, quam olim Neoptolemus tragoedus ludis, quibus rex Macedonum Philippus occisus est, egerat“

„parabatur et in noctem spectaculum, quo argumenta inferorum per Aegyptios et Aethiopas explicarentur“

Apud Dionem praeter illa duo, quae supra memoravimus, tertium traditur omen mortis, quae instabat:

LIX. 29. 4. *Ἀπολλώνιός τις Αἰγύπτιος τὸ συμβὰν αὐτῷ προεῖπε*

Tacitus et Dio commemorant dictum, quo Tiberius Gaio, quali mortis genere periturus esset, praedixerit. Legimus apud Tacitum, ann. VI. 46:

„simul crebris cum lacrimis minorem ex nepotibus complexus, truci alterius vultu, ‘occides hunc tu’ inquit ‘et te alius’“ (Dio LVIII. 23. 2, 3; Zon. XI. 3).

Claudius I.

Claudio prodigia, ex quibus principatum speraverit, esse facta apud scriptores non legimus.

A Tacito nonnulla prodigia enarrantur, quae Ti. Claudio Serv. Cornelio Orfito coss. (anno 51 p. Chr.) evenerint, sed, quid ostendisse visa sint, non est commemoratum:

Tac. ann. XII. 43: „multa eo anno prodigia evenere. insessum diris avibus Capitolium“

„crebris terrae motibus prorutae domus“

„frugum quoque egestas et orta ex eo fames in prodigium accipiebatur“

Multa nobis tradita sunt ostenta, quae praesagia mortis eius existimata sunt, apud Suetonium, Dionem, Zonaram.

Suet. Div. Claud. 46. „exortus crinitae stellae, quam cometen vocant“ (Dio LX. 35. 1; Zon. XI. 11)

„tactum de caelo monumentum Drusi patris"

„eodem anno ex omnium magistratuum genere plerique mortem obierant" (Dio LX. 35. 1: ὅτι ἐξ ἁπασῶν τῶν ἀρχῶν εἷς ἀφ' ἑκάστης ἐτελεύτησεν. Tac. ann. XII. 64. „numerabantur inter ostenta deminutus omnium magistratuum numerus, quaestore, aedili, tribuno ac praetore et consule paucos intra menses defunctis")

Dio LX. 35. 1. ψεκὰς ἡ αἱματώδης ὅ τε σκηπτὸς ὁ ἐς τὰ δορυφορικὰ σημεῖα ἐμπεσών (Zon. XI. 11; Tac. ann. XII. 64 „signa ac tentoria militum igni caelesti arsere:")

καὶ ἡ αὐτόματος τοῦ ναοῦ τοῦ Διὸς τοῦ Νικαίου ἄνοιξις

τό τε σμῆνος τὸ ἐν τῷ στρατοπέδῳ συστραφέν (Tac. ann. XII. 64 „fastigio Capitolii examen apium insedit") praeterea, quae supra memoravimus, duo.

Tac. ann. XII. 64: „biformes hominum partus"

„et suis fetum editum, cui ancipitrum ungues inessent:"

Quae apud Zonaram inveniuntur, iam adduximus.

Apud Aurelium Victorem (Caes. 4, Epit. 11) legimus regnante Claudio Phoenicem esse visum in Aegypto. Sed cum Dio (LVIII. 27. 1; Zon. XI. 3), Tacitus (ann. VI. 28) aliique tradant Tiberio imperante illam volucrem esse conspectam, cuius adventus Tiberio mortem significare videbatur (Dio ib.), non in eis ominibus, quae Claudii interitum ostendant, eam haberi posse arbitror, praesertim cum apud Aurelium Victorem modo volucris adventum memoratum videamus neque comperiamus, num in praesagiis mortis numeratus sit.

Nero.

Non pauca nobis occurrunt apud scriptores omina, quae ad Neronis et imperium et facinora et obitum futurum spectare videbantur.

Inter omina imperii haec sunt enumeranda.

Suet. Nero 6. „natus est ... exoriente sole, paene ut radiis prius quam terra contingeretur" (Dio Epit. LXI. 2. 1: ἀκτῖνες γὰρ τικτόμενον αὐτὸν ὑπὸ τὴν ἕω ἐξ οὐδεμιᾶς τοῦ ἡλίου φανερᾶς προςβολῆς περιέσχον)

Dio Ep. LXI. 2. 1. ἀστρόλογος ἔκ τε τούτων καὶ ἐκ τῆς τῶν ἀστέρων φορᾶς ...... ἐμαντεύσατο ὅτι τε βασιλεύσει καὶ ὅτι τὴν μητέρα φονεύσει (Tac. XIV. 9)

Apud Tacitum, ann. XI. 11, commemoratum est ludis circensibus favorem plebis acriorem in Domitium (quam in Britannicum) loco praesagii acceptum esse.

Suetonius affirmat fabulam esse, non rem vere factam, id quod in vulgus emanasset missos a Messalina, qui Neronem meridiantem strangularent, dracone e pulvino se proferente conterritos refugisse (Nero 6); atque in eandem sententiam discedit Tacitus, cum dicat ann. XI. 11: „vulgabaturque adfuisse infantiae eius dracones in modum custodum, fabulosa et externis miraculis adsimilata: nam ipse, haudquaquam sui detractator, unam omnino anguem in cubiculo visam narrare solitus est."

Qualem se postea praebiturus esset, ex nonnullis ominibus cognosci posse videbatur:

Suet. Nero 6. „praesagio fuit etiam Domitii patris vox, inter gratulationes amicorum negantis quicquam ex se et Agrippina nisi detestabile et malo publico nasci potuisse" (Dio Ep. LXI. 2. 3)

Astrologum praedixisse illum matrem suam occisurum esse (Dio Ep. LXI. 2. 1; Tac. ann. XIV. 9) iam commemoravimus.

Cum a Claudio adoptaretur, caelum eo die ardere visum est (Dio LX. 33, 2; Zon. XI. 10).

Quo die togam virilem sumpsit, terra a diis late concussa est atque noctu omnibus terror incussus est (Zon. XI. 10).

Praeterea duo prodigia memoriae tradita sunt, quorum utroque Nero ab opere instituendo deterritus sit.

Legimus in Suetonii Ner. c. 19:

„(peregrinatione) Alexandrina ipso profectionis die destitit .... nam cum circumitis templis in aede Ve-

tae resedisset, consurgenti ei primum lacinia obhaesit, deinde tanta oborta caligo est, ut dispicere non posset"

(Tacitus scribit de hac re, ann. XV. 36: „super ea profectione adiit Capitolium. illic veneratus deos, cum Vestae quoque templum inisset, repente cunctos per artus tremens, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione numquam timore vacuus, deseruit inceptum, cunctas sibi curas amore patriae leviores dictitans")

Cum Isthmum perfodere coepisset, accidere signa, de quibus narrat Dio:

LXIII. 16. 1. *αἷμά τε γὰρ τοῖς πρώτοις ἁψαμένοις τῆς γῆς ἀνέβλυσεν, καὶ οἰμωγαὶ μυκηθμοί τέ τινες ἐξηκούοντο, καὶ εἴδωλα πολλὰ ἐφαντάζετο*

(Zon. XI. 12; apud Suetonium, Nero 19, legimus Neronem Isthmum perfodere aggressum esse; signis illum esse deterritum non commemoratur).

A Tacito magnus prodigiorum numerus aetate Neronis principis factorum narratur, quorum magna pars quas ad res spectet, certe eruere non possumus.

C. Vipstano C. Fonteio Capitone coss. (a. 59) prodigia facta tradit haec:

ann. XIV. 12. „anguem enixa mulier"

„alia in concubitu mariti fulmine exanimata"

„iam sol repente obscuratus"

„tactae de caelo quattuordecim urbis regiones"

Quae portenta mihi ab hominibus praesagia mortis Neronis habita esse videntur, quod ex insequentibus Taciti verbis, ut opinor, elucet:

„quae adeo sine cura deum eveniebant, ut multos post annos Nero imperium et scelera continuaverit."

P. Mario Celso L. Asinio Gallo coss. (a. 62) evenerunt haec:

ann. XV. 22. „gymnasium ictu fulminis conflagravit, effigiesque in eo Neronis ad informe aes liquefacta"

„et motu terrae celebre Campaniae oppidum Pompei magna ex parte proruit"

(clare cognosci non potest, utrum illa calamitas a Tacito in

prodigiorum, quibus futura ostendantur, numero sit collocata, an modo commemorata sit quasi res digna ut eius mentio fieret, sicut id quod de virgine Vestali eodem loco nuntiatur).

C. Laecanio Basso M. Licinio Crasso coss. (a. 64) Neapoli, ubi Nero in scaenam prodierat, omen, ut ipse Nero arbitrabatur, faustum, ut plerique, triste evenit:

ann. XV. 34. „egresso qui adfuerat populo vacuum et sine ullius noxa theatrum conlapsum est."

Eodem anno prodigia facta sunt, quae Tacitus „imminentum malorum nuntia" fuisse censet:

ann. XV. 47. „vis fulgurum non alias crebrior"

„sidus cometes, sanguine inlustri semper Neroni expiatum"

„bicipites hominum aliorumve animalium partus abiecti in publicum aut in sacrificiis, quibus gravidas hostias inmolari mos est reperti"

„in agro Placentino viam propter natus vitulus, cui caput in crure esset"

huic prodigio adiicit Tacitus haruspicum interpretationem:

„parari rerum humanarum aliud caput, sed non fore validum neque occultum, quia in utero repressum aut iter iuxta editum sit."

Satis apparet hanc haruspicum praedictionem ad coniurationem Pisonianam (ann. XV. 48 sq.), quae brevi post exstincta sit, esse relatam.

Non est dubium, quin illa „imminentia mala", quae prodigiis memoratis ostenta esse Tacitus dicit, significent caedes, quas coniuratione exstincta Nero exercuerit (annal. XV. 59 sq.).

Signa mortis multa Neroni exstitisse narrantur.

Futurae infelicitatis signum evidens iam die lustrico ei exstitisse Suetonius narrat, nam C. Caesar, rogante sorore ut nomen infanti daret, Claudii patrui sui, qui tum inter ludibria aulae erat, nomen dare voluit per iocum (Nero 6).

Mathematici praedixerant ei fore ut quandoque destitueretur (Suet. N. 40).

Consulto Delphis Apolline audivit septuagesimum ac tertium annum cavendum sibi esse (Suet. N. 40; Galba, cum Neroni succederet, sept. tert. annum egit.).

Praeterea Suetonius haec portenta tradit:

> Nero 46. „numquam antea somniare solitus, occisa demum matre vidit per quietem, navem sibi regenti extortum gubernaculum, trahique se ab Octavia uxore in artissimas tenebras et modo pinnatarum formicarum multitudine oppleri, modo a simulacris gentium ad Pompei theatrum dedicatarum circumiri arcerique progressu“
>
> „asturconem, quo maxime laetabatur, posteriore corporis parte in simiae speciem transfiguratum, ac tantum capite integro hinnitus edere canoros“
>
> „de Mausoleo, sponte foribus patefactis, exaudita vox est nomine eum cientis“
>
> „Kl. Ian. exornati Lares in ipso sacrificii apparatu conciderunt“
>
> „auspicanti Sporus anulum muneri optulit, cuius gemmae sculptura erat Proserpinae raptus“
>
> „votorum nuncupatione, magna iam ordinum frequentia, vix repertae Capitolii claves“
>
> „cum ex oratione eius ... recitaretur in senatu, daturos poenas sceleratos ..., conclamatum est ab universis:
>
> Tu facies Auguste!“
>
> „observatum etiam fuerat, novissimam fabulam cantasse eum publice Oedipodem exulem atque in hoc desisse versu:
>
> *θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.*“

Progeniem Caesarum in Nerone esse defecturam duobus signis evidentissimis, ut Suetonius dicit, apparuit. Nam novissimo Neronis anno et gallinae omnes, quae provenerant ex illa gallina alba, quam aquila olim Liviae in gremium demiserat, interierunt et lauretum, quod originem duxerat ex lauri ramulo, quem gallina illa rostro tenuerat, unde Caesaris triumphantes

laureas decerpere solebant, omne exaruit radicitus (Suet. Galba 1; Aurel. Victor de Caes. 5; Dio, XLVIII. 52. 3, 4, et Zonaras, X. 23, narrant modo signum, quod Liviae exstiterat).

Alterum fuisse omen, quod tacta de coelo Caesarum aede capita omnibus simul statuis decidissent, Augusti etiam sceptrum e manibus excussum esset (Suet. Galba 1).

Galba.

Permulta omina futuri imperii Galbae oblata sunt, quorum plurima inveniuntur apud Suetonium.

Suet. Galba 4. „constat Augustum puero ... dixisse:

Καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ

(Dio Ep. LXIV. 1. 1; Zon. XI. 2; Tac. ann. VI. 20; qui omnes non Augustum, sed Tiberium hoc dixisse tradunt)

„avo quoque eiur fulgur procuranti, cum exta de manibus aquila rapuisset et in frugiferam quercum contulisset, responsum est, summum sed serum imperium portendi familiae"

„ille irridens: Sane — inquit — cum mula pepererit (Dio Ep. LXIV. 1. 3; *ἡμιονός τε ἔτεκεν, ὅπερ αὐτῷ σύμβολον τοῦ κράτους ἔσεσθαι ἐτεθέσπιστο*)

„... somniavit Fortunam dicentem, stare se ante fores defessam, et nisi ocius reciperetur, cuicumque obvio praedae futuram. Utque evigilavit ... simulacrum aeneum deae .... invenit ..." (Dio ib. 1. 2)

Suet. Galba 6. „evenitque ut (in consulatu) ipse L. Domitio patri Neronis, ipsi Salvius Otho pater Othonis succederet, velut praesagium insequentis casus, quo medius inter utriusque filios extitit imperator"

ibid. 8: „acciditque, ut cum ... sacrificaret intra aedem publicam, puero e ministris ... capillus ... toto capite canesceret"

(Dio ib. 1. 3; interpretabantur Neroni iuveni successurum Galbam senem)

„in Cantabriae lacum fulmen decidit"

„repertaeque sunt duodecim secures"

(„haud ambiguum summae imperii signum", ut Suetonius dicit)

ib. 10. „... repertus est anulus opere antiquo, scalptura gemmae Victoriam cum tropaeo exprimente"

„Alexandrina navis Dertosam appulit armis onusta, sine gubernatore ..." (Dio ib. 1. 2)

ibid. 9. „confirmabatur cum secundissimis auspiciis ... virginis honestae vaticinatione ... oriturum quandoque ex Hispania principem dominumque rerum"

Etiam mortis signa multa ei exstiterunt.

Non diutinum futurum esse eius imperium, iam Tiberius praedixerat:

Tac. ann. VI. 20. „seram ac brevem potentiam significans"

Praeterea tradita sunt haec:

Suet. G. 18. „cum per omne iter ... victimae caederentur, taurus securis ictu consternatus rupto vinculo essedum eius invasit elatisque pedibus totum cruore perfudit"

„descendentem speculator impulsu turbae lancea prope vulneravit"

„urbem quoque et deinde Palatium ingressum excepit terrae tremor et assimilis quidam mugitui sonus"

„monile ... ad ornandam Fortunam suam ... secreverat; id. ... Capitolinae Veneri dedicavit, ac proxima nocte somniavit speciem Fortunae ... minantisque erepturam ... quae dedisset. Cumque exterritus luce prima ... Tusculum excucurrisset, nihil invenit praeter tepidam in ara favillam atratumque ... senem ... thus tenentem ..."

„observatum ..., Kl. Ian. sacrificanti coronam de capite excidisse, auspicanti pullos avolasse"

„adoptionis die neque milites adlocuturo castrensem sellam de more positam pro tribunali, oblitis ministris"

„et in senatu curulem perverse collocatam"

ib. 19. „prius vero quam occideretur sacrificantem mane haruspex identidem monuit, caveret periculum,

non longe percussores abesse" (Dio LXIV. 5. 3; Zon. XI. 14; Plut. Galba XXIV).

Cum Galba urbem ingrederetur, multi necati sunt, de qua re apud Plutarchum, Galba XV, legimus:

οἱ μὲν ... διεφθάρησαν οὐ χρηστὸν οὐδ' αἴσιον ποιοῦντες τῷ Γάλβᾳ τὸν οἰωνὸν εἰσιόντι διὰ πολλοῦ φόνου καὶ νεκρῶν τοσούτων εἰς τὴν πόλιν.

Cum in animo haberet, Pisonem adoptare, atque in castris verba faceret, magna ostenta evenerunt et tanta tempestas orta est, ut nemini dubium esset, quin dei Galbae irascerentur, quod talia incepisset (Plat. Galba XXIII; Tac. hist. I. 18).

Otho.

Eandem praedictionem, quae Othoni spem futuri imperii praebuit, invenimus apud Suetonium, Plutarchum, Tacitum.

Suet. Otho 4. „spem imperii cepit ... maiorem ex affirmatione Seleuci mathematici. Qui cum eum olim superstitem Neroni fore spopondisset, tunc ultro inopinatus advenerat, imperaturum quoque brevi repromittens"

(Plut. Galba XXIII; Tac. hist. I. 22; Plutarchus et Tacitus mathematicum „Ptolemaeum" nominant, non „Seleucum", sed quin apud omnes de eodem omine agatur, non est dubitandum).

Alios quoque mathematicos Othoni spem principatus auxisse cognoscimus a Tacito, ib.: „urgentibus etiam mathematicis, dum novos motus et clarum Othoni annum, observatione siderum, affirmant."

Praesagia mortis compluria occurrunt.

Suet. Otho 7. „dicitur ... per quietem pavefactus gemitus maximos edidisse, repertusque a concursantibus humi ante lectum iacens, ... Manes Galbae, a quo deturbari expellique se viderat, propitiare temptasse" (Dio Ep. LXIV. 7. 2),

„postridie ... in augurando tempestate orta graviter prolapsum identidem obmurmurasse: *τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς;*

(Dio Ep. LXIV. 7. 1; Dio nil commemorat de tempestate orta, nuntiat *ἱερὰ πονηρὰ ὤφθη;* fortasse id in unum contrahit, quod Suetonius c. 7. de Othone augurante et c. 8. de victima Diti patri caesa dicit; Zon. XI. 15. *ἱερῶν ... πονηρῶν ὀφθέντων καὶ ἄλλων σημείων αὐτῷ γενομένων*)

ibid. 8. „expeditionem (contra Vitellium) inchoavit ... motis nec dum conditis ancilibus"

„et die, quo cultores deum Matris lamentari et plangere incipiunt"

„victima Diti patri caesa litavit"

(cf. quid supra dixerimus)

„primo egressu inundationibus Tiberis retardatus" (Plut. Otho IV; Tac. hist. I. 86.)

„ad vicensimum etiam lapidem ruina aedificiorum praeclusam viam offendit"

Plut. Otho IV: *σημείων ... πολλῶν λεγομένων τὰ μὲν ἄλλα φήμας ... ἀμφιβόλους εἶχεν, ἐν δὲ Καπιτωλίῳ Νίκης ἐφεστώσης ἅρματι τὰς ἡνίας πάντες εἶδον ἀφειμένας ἐκ τῶν χειρῶν ὥσπερ κρατεῖν μὴ δυναμένης* (Tac. hist. I. 86)

καὶ τὸν ... Γαΐου Καίσαρος ἀνδριάντα μήτε σεισμοῦ γεγονότος ... ἀφ ἑσπέρας μεταστραφέντα πρὸς τὰς ἀνατολὰς ...

(Tac. hist. I. 86; Suet. Vesp. 5; Suetonius Galba comitia secundi consulatus ineunte id accidisse nuntiat). Tiberis inundationem, de qua Plutarchus verba facit, supra memoravimus.

Praeterea inveniuntur apud Tacitum, hist. I. 86:

„erupisse cella Innonis maiorem humana speciem"

„prolocutum in Etruria bovem"

„insolitos animalium partus"

„et plura alia"

Hist. II. 50. „Die, quo Bedriaci certabatur, avem invisitata specie apud Regium Lepidum celebri loco consedisse, incolae memorant, nec deinde coetu hominum, aut circumvolitantium alitum, territam pulsamve, donec Otho se ipse interficeret: tum ablatam ex oculis:

et tempora reputantibus, initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse."

Vitellius.

Laetum auspicium Vitellio esse factum, cum adversus Othonem proficisceretur, muntiat Suetonius:

Vit. 9. „,... a parte dextra repente aquila advolavit, lustratisque signis ingressos viam sensim antecessit"

Cum imperator nominatus flagrante triclinio ex conceptu camini consternatos atque anxios quasi omine adverso omnes videret, malum omen in bonum vertit, cum diceret:

„Bono animo estote! nobis adluxit" (Suet. Vit. 8.)

Cum imperator factus esset, mulier Cattha vaticinata est ita demum firmiter ac diutissime imperaturum, si superstes parenti extitisset, quam ob vaticinationem in suspicionem vocatus est Vitellius, mortem matris effecisse (Suet. Vit. 14).

Ei quoque multo maior numerus signorum mortis exstitit.

Suet. Vit. 3. „genituram eius praedictam a mathematicis ita parentes exhorruerunt ut pater ... contenderit, ne qua ei provincia vivo se committeretur, mater ... appellatum imperatorem pro afflicto statim lamentata sit"

ib. 9. „ipso movente, statuae equestres, cum plurifariam ei ponerentur, fractis repente cruribus pariter corruerunt"

„laurea, quam religiosissime circumdederat, in profluentem excidit"

„mox Viennae pro tribunali iura reddenti gallinaceus supra umerum ac deinde in capite astitit"

(postea oppressus est Vitellius ab Antonio Primo, homine Gallicano, cui Tolosae nato cognomen in pueritia Becco fuerat: id valet gallinacei rostrum. Suet. Vit. 18).

ib. 14. „post edictum suum, quo iubebat intra Kl. Oct. urbe Italiaque mathematici excederent, statim libellus propositus est,

et Chaldaeos dicere, bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Calendarum diem usquam esset"

(Dio Ep. LXV. 1. 4; Zon. XI. 16; Suetonius dicit Vitellium Chaldaeorum libello exacerbatum esse; non adicit, num omen habitum sit)

Dio Ep. LXV. 8. 1. *κομήτης ἀστὴρ ἐφαντάσθη*

καὶ ἡ σελήνη παρὰ τὸ καθεστηκὸς δὶς ἐκλελοιπέναι ἔδοξε· καὶ γὰρ τεταρταία καὶ ἑβδομαία ἐσκιάσθη (Zon. XI. 16)

καὶ ἡλίους δύο ἅμα, ἔκ τε τῶν ἀνατολῶν καὶ ἐκ τῶν δυσμῶν, τοῦτον μὲν ἀσθενῆ καὶ ὠχρὸν, ἐκεῖνον δὲ λαμπρὸν καὶ ἰσχυρόν, εἶδον (Zon. XI. 16)

ἐν τῷ Καπιτωλίῳ ἴχνη πολλὰ καὶ μεγάλα δαιμόνων τινῶν ὡς καὶ κατεληλυθότων ἀπ' αὐτοῦ ἑωράθη

ἔλεγον ... ὅτι ὁ τοῦ Διὸς ναὸς αὐτόματος σὺν πολλῷ κτύπῳ ἠνεῴχθη

ib. 16. 1. *θύσαντος γὰρ αὐτοῦ θυσίαν τινά, καὶ ἐπ' αὐτῇ δημηγοροῦντος τοῖς στρατιώταις, γῦπες πολλοὶ προςπεσόντες τά τε ἱερὰ διεσκέδασαν καὶ ἐκεῖνον ἀπὸ τοῦ βήματος ὀλίγου δεῖν κατέβαλον.*

Nescio an pro omine mortis habitum sit illud prodigium, quod exorta in castris Vitellianis seditione evenit, ib. 11. 1:

ἐπηύξησεν αὐτὴν (τὴν ταραχὴν) ἡ σελήνη τῆς νυκτὸς ἐκλιποῦσα, οὐχ ὅτι κατεσκιάσθη ....., ἀλλ' ὅτι καὶ αἱματώδης καὶ μέλαινα ἄλλα τέ τινα χρώματα φοβερὰ ἀφιεῖσα ὤφθη.

Vespasianus.

Ingens paene est numerus eorum ominum atque prodigiorum, quibus Vespasianus ad spem futuri principatus adductus est.

Suet. Vesp. 5. „in spem imperii venit ... per haec ostenta conceptam. In suburbano Flaviorum quercus antiqua, quae erat Marti sacra, per tres Vespasiae partus, singulos repente ramos a frutice dedit, haud

dubia signa futuri cuiusque fati: primum exilem ..... secundum praevalidum ..... tertium vero instar arboris. Quare patrem Sabinum ferunt, haruspicio insuper confirmatum, renuntiasse matri, nepotem ei Caesarem genitum"

„cum aedilem eum C. Caesar ... luto iussisset oppleri congesto per milites in praetextae sinum, non defuerunt qui interpretarentur ... rem publicam ... in (eius) gremium deventuram" (Dio LIX. 12. 3; Zon. XI. 5)

„prandente eo quondam, canis extrarius e trivio manum humanam intulit mensaeque subiecit" (Dio Ep. LXVI. 1. 2)

„coenante rursus, bos arator decusso iugo triclinium irripuit, ac ... procidit ad ipsos accumbentis pedes cervicemque summisit" (Dio ib. 1. 2)

„arbor quoque cupressus in agro avito sine ulla vi tempestatis evulsa radicitus ... insequenti die viridior ac firmior resurrexit" (Dio ib. 1. 3. *πρόῤῥιζος ὑπὸ σφοδροῦ πνεύματος ἀνατραπεῖσα.* Tacit. hist. II. 78.)

„somniavit, initium sibi suisque felicitatis futurum, simul ac dens Neroni exemptus esset; evenitque, ut sequenti die ... medicus dentem ei ostenderet" (Dio ib. 1. 3)

„apud Iudaeam Carmeli dei oraculum consulentem ita confirmarere sortes, ut quidquid cogitaret volveretque animo, quamlibet magnum, id esse proventurum pollicerentur" (Tac. hist. II. 78)

Suet. Vesp. 4. „percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur. Id de imperatore Romano, quantum postea eventu paruit, praedictum ..."

(Tac. hist. V. 13; Zon. XI. 16; Zonaras existimat non ad Vespasianum, sed ad Jesum Christum spectare illud oraculum; Orosius, VII. 9. 2, narrat Iudaeos quibusdam in Carmelo monte sortibus, quae portenderent exortos a Iudaea duces rerum potituros esse, seductos esse ad rebellionem)

Suet. Vesp. 5. „unus ex nobilibus captivis Iosepus, cum coiceretur in vincula, constantissime asseveravit fore ut ab eodem brevi solveretur, verum iam imperatore“

(Dio Ep. LXVI. 1. 4; Zon. XI. 16; Orosius VII. 9. 3; Iosephus bell. Iud. III. 8. 9; Iosephus aliis quoque prodigiis Vespasiano imperium denuntiatum narrat)

Suet. Vesp. 5. „nuntiabantur et ex urbe praesagia, Neronem diebus ultimis monitum per quietem, ut tensam Iovis Optimi Maximi e sacrario in domum Vespasiani et inde in circum deduceret“ (Dio Ep. LXVI. 1. 3)

„ac non multo post, comitia secundi consulatus ineunte Galba, statuam Divi Iuli ad Orientem sponte conversam“

(Plut. Otho IV; Tac. hist. I. 86; Tacitus et Plutarchus hoc prodigium non aetate Galbae, sed Othonis factum esse narrant. cf. pag. 30.)

„acieque Betriacensi, prius quam committeretur, duas aquilas in conspectu omnium conflixisse, victaque altera supervenisse tertiam ab solis exortu ac victricem abegisse“

Suet. Vesp. 7. „hic (Alexandriae) cum de firmitate imperii capturus auspicium aedem Serapidis summotis omnibus solus intrasset, ac propitiato multum deo tandem se convertisset, verbenas coronasque et panificia, ut illic assolet, Basilides libertus obtulisse ei visus est; quem neque admissum a quoquam et iam pridem propter nervorum valitudinem vix ingredi longeque abesse constabat. Ac statim advenere litterae, fusas apud Cremonam Vitelli copias, ipsum in urbe interemptum nuntiantes“ (Tac. hist. IV. 82. „altior inde Vespasiano cupido adeundi sacram sedem, ut super rebus imperii consuleret. Arceri templo cunctos iubet: atque ingressus, intentusque numini, respexit pone tergum e primoribus Aegyptiorum nomine Basiliden; quem procul Alexandria plurium dierum itinere et aegro corpore detineri

haud ignorabat. Percunctatur sacerdotes, num illo die Basilides templum inisset? percunctatur obvios, num in urbe visus sit? denique, missis equitibus, explorat, illo temporis momento octoginta millibus passuum abfuisse. Tunc divinam speciem et vim responsi ex nomine Basilidis interpretatus est")

„auctoritas et quasi maiestas quaedam ut ... adhuc novo principi deerat; haec quoque accessit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudini demonstratam a Serapide per quietem: restituturum oculos, si inspuisset; confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere ... hortantibus amicis ... utrumque temptavit, nec eventus defuit"

(Tac. hist. IV. 81; Tacitus dicit illis miraculis „coeli favorem et quandam in Vespasianum inclinationem numinum ostentam esse")

„per idem tempus Tegeae in Arcadia instinctu vaticinantium effossa sunt sacrato loco vasa operis antiqui, atque in iis assimilis Vespasiano imago"

Suet. Vesp. 25. „dicitur etiam vidisse quondam per quietem stateram media parte vestibuli Palatinae domus positam examine aequo, cum in altera lance Claudius et Nero starent, in altera ipse ac filii nec res fefellit, quando totidem annis ... utrique imperaverunt"

Tac. hist. II. 78. „sed primo triumphalia et consulatus, et Iudaicae victoriae decus, implesse fidem ominis videbantur: ut haec adeptus est, portendi sibi imperium credebat"

Quae apud Dionem inveniantur omina, iam commemoravimus, adiiciendum est illud prodigium, quod Vitellio interitum, Vespasiano imperium ostendere videbatur, dico duos soles simul visos (Dio Ep. LXV. 8. 1; Zon. XI. 16; cf. pag. 32).

Cum permulta omina futuri imperii tradita sint, admodum pauca occurunt praesagia mortis.

Duo modo adducuntur, quamquam ex Suetonii verbis elucet compluria esse facta. Legimus apud Suetonium:

Vesp. 23. „nam cum inter cetera prodigia Mausoleum derepente patuisset“ (Dio Ep. LVI. 17. 2.)

„et stella crinita in caelo apparuisset“ (Dio Ep. ib.; Aur. Vict. Epit. 19).

Titus.

Pauca inveniuntur et imperii et mortis futurae signa.

In ominibus imperii habendum est illud somnium, quo Vespasiano ostendebatur se cum filiis tantum temporis spatium imperaturum esse, quantum Claudius et Nero regnaverint (Suet. Vesp. 25; adduximus illud somnium pag. 35).

In templo quoque Paphiae Veneris futurum imperium per Sostratum sacerdotem Tito praenuntiatum esse videtur (Tac. hist. II. 4).

Hoc loco etiam commemorandum mihi videtur Vespasianum de suorum genitura tam certum semper fuisse, ut in senatu affirmaverit aut filios sibi successuros aut neminem (Suet. Vesp. 25; Eutropius XX).

Ante eius mortem duo prodigia accidisse Suetonius nuntiat, quae Titus ipse signa infausta existimaverit:

Tit. 10. „sacrificanti hostia aufugerat“

„tempestate serena tonuerat.“

Domitianus.

Imperii omina perpauca, multa mortis reperimus.

De Vespasiano filiorum genitura freto eiusque somnio (Suet. Vesp. 25; Eutrop. XX) supra egimus.

Cum L. Antonius, qui bellum civile moverat, victus esset, de hac victoria praesagiis certiorem factum esse Domitianum Suetonius, Dom. 6, narrat:

„ipso quo dimicatum erat die statuam eius Romae insignis aquila circumplexa pinnis clangores laetissimos edidit; pauloque post occisum Antonium adeo vulga-

tum est, ut caput quoque adportatum eius vidisse se plerique contenderent."

Signa mortis haec nobis tradita sunt:

Suet. Dom. 14. „annum diemque ultimum vitae iam pridem suspectum habebat, horam etiam ... et genus mortis. Adulescentulo Chaldaei cuncta praedixerant"

„pater quoque super caenam quondam fungis abstinentem palam irriserat ut ignarum sortis suae, quod non ferrum potius timeret"

ib. 15. „tactum de caelo Capitolium"

„templumque Flaviae gentis"

„domus Palatina"

„cubiculum ipsius"

„e basi statuae triumphalis titulus excussus vi procellae in monimentum proxumum decidit"

„arbor, quae privato adhuc Vespasiano eversa surrexerat, tunc rursus repente corruit"

„Praenestina Fortuna, toto imperii spatio annum novum commendanti laetam eandemque semper sortem dare assueta, extremo tristissimam reddidit, nec sine sanguinis mentione"

„Minervam, quam superstitiose colebat, somniavit excedere sacrario negántemque ultra se tueri eum posse, quod exarmata esse a Jove" (Dio Ep. LXVII. 16. 1. *καὶ αὐτὸς ἐν τῷ ὕπνῳ τὴν Ἀθηνᾶν, ἣν ἐν τῷ κοιτῶνι ἱδρυμένην εἶχε, τὰ ὅπλα ἀποβεβληκέναι καὶ ἐπὶ ἅρματος ἵππων μελάνων ἐς χάσμα ἐσπίπτειν ἔδοξεν.*
quamquam aliter apud Dionem atque apud Suetonium narratur, tamen de eodem omine ab utroque agi mihi videtur)

„(Ascletarionem mathematicum) delatum nec infitiantem, iactasse se quae providisset ex arte, sciscitatus est, quis ipsum maneret exitus; et affirmantem, fore ut brevi laceraretur a canibus, interfici quidem sine mora, sed ad coarguendam temeritatem artis sepeliri quoque accuratissime imperavit. Quod cum fieret,

evenit, ut repentina tempestate deiecto funere, semustum cadaver discerperent canes"

(Dio Ep. LXVII. 16. 3; Zon. XI. 19; Ascletarionem Domitiano mortem praedixisse Suetonius non dicit, sed rem ita se habere et ex Suetonii narratione elucet et ex Dionis Zonaraeque verbis clare perspicitur)

Suet. Dom. 16. „circa mediam noctem (antequam interficeretur) ita est exterritus, ut e strato prosiliret"

„haruspicem ex Germania missum, qui consultus de fulgure mutationem rerum praedixerat ..."

(Dio Ep. LXVII. 16. 2; Zon. XI. 19; Dio et Zonaras narrant Longinum Proculum, qui in Germania diem quo Domitianus obiturus esset, praedixisset, cum Romam abductus esset, ibi idem contendisse atque asservatum, ut post diem, quo Domitianum periturum esse praenuntiavisset, necaretur, Domitiano illo die interfecto e periculo evasisse; quamquam inter se dissentiunt aliquantum Suetonius et Dio, tamen eandem rem mihi videntur tractasse).

Praeterea nonnulla exstant omina, quae modo apud Dionem et Zonaram inveniuntur:

Dio LXVII. 16. 1. `*ἄλλα τε αὐτῷ σημεῖα ἐγένετο, καὶ αὐτὸς ἐν τῷ ὕπνῳ τόν τε Ῥούστικον ξίφει προσιέναι οἱ ... ἔδοξεν*

Dio ib. 18. 1, 2. *Ἀπολλώνιός τις Τυανεὺς ἔν τε τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ καὶ τῇ ὥρᾳ αὐτῇ ἐκείνῃ ἐν ᾗ ὁ Δομιτιανὸς ἐσφάττετο, ... ἀναβὰς ἐπί τινα λίθον ὑψηλὸν ἐν Ἐφέσῳ ... καὶ συγκαλέσας τὸ πλῆθος ταῦτα εἶπεν ‘καλῶς Στέφανε, εὖγε Στέφανε· παῖε τὸν μιαιφόνον. ἔπληξας, ἔτρωσας, ἀπέκτεινας’*

(Zon. XI. 19; a Stephano quodam Domitianus occisus est).

Domitianus ipse, antequam occideretur, infausta omina sibi fecisse dicitur. Legimus apud Suetonium:

Dom. 16. „pridie quam periret, cum oblatos tuberes servari iussisset in crastinum, adiecit: Si modo uti licuerit!"

„et conversus ad proximos affirmavit, fore ut sequenti die luna se in aquario cruentaret factumque aliquod existeret, de quo loquerentur homines per terrarum orbem!“

Nerva.

Primum commemoranda sunt duo omina, quae non tam ad breve temporis spatium, quo Nerva imperabat quam, ad totum, quod insequebatur, saeculum, quod quasi aetas aurea imperii Romani vocari licet, spectare videntur. Scriptum videmus apud Suetonium:

Dom. 23. „Ante paucos quam (Domitianus) occideretur menses cornix in Capitolio elocuta est: *Ἔσται πάντα καλῶς·* nec defuit qui ostentum sic interpretaretur:

Nuper Tarpeio quae sedit culmine cornix
‘Est bene’ non potuit dicere, dixit: ‚erit’“

(Aur. Vict. Ep. 27 „... usque eo, ut adveniens imperium eius pleraque mirifica denunciaverint. In quibus praecipuum, cornix e fastigio Capitolii Atticis sermonibus effata, *καλῶς ἔσται!*“

in Aurelii Vict. Epit. hoc omen Traiano imperium denuntiasse legimus)

„ipsum etiam Domitianum ferunt somniasse, gibbam sibi pone cervicem auream enatam, pro certoque habuisse, beatiorem post se laetioremque portendi rei p. statum. Sicut sane brevi evenit, abstinentia et mederatione insequentium principum!“

Omen imperii futuri Nervae factum invenitur apud Zonaram, XI. 20: *ὅς (Νερούας) ἀστρολόγων ὅτι μοναρχήσει φησάντων μικροῦ διώλετο ἄν.* Sed apud Dionem eo loco, quo causae afferuntur, quibus adductus Nerva a suscipiendo principatu non abhorruerit, LXVII. 15. 5, legimus: *καὶ προσέτι καὶ ἐκινδύνευσε διαβληθεὶς ὑπ᾽ ἀστρολόγων.* Inde elucere mihi videtur illam praedictionem non veram imperii praenuntiationem, sed machinationem infestam quorundam astrologorum, qui Nervae interitum

cupissent, esse habitam, praesertim cum alius astrologus, amicus Nervae, Nervam servaret, cum diceret illum brevi moriturum esse, quam ob rem Domitianus illi pepercit (Dio LXVII. 15. 6; Zon. XI. 20). Itaque nescio an illa astrologorum praedictio non inter omina imperii enumeranda sit.

Praesagium mortis tradit Aurelius Victor:

Epit. 25. „eoque die, quo interiit, solis defectio facta est."

Traianus.

Pauca inveniuntur omina, quae ad Traianum spectant.

Dio Ep. LXVII. 12. 1. *Τραιανῷ δὲ δὴ τῷ Οὐλπίῳ καὶ ... Γλαβρίωνι ὑπατεύσασι τότε τὰ αὐτὰ σημεῖα λέγεται γενέσθαι· καὶ ἀπ' αὐτῶν ... τῷ δὲ Τραιανῷ ἡ τῆς αὐτοκρατορίας ἀρχὴ προερρέθη*

Dio Epit. LXVIII. 5. 1. *Τραιανῷ δὲ ὄναρ ἐγεγόνει, πρὶν αὐταρχῆσαι, τοιόνδε· ἐδόκει ἄνδρα πρεσβύτην ἐν ἱματίῳ καὶ ἐσθῆτι περιπορφύρῳ, ἔτι δὲ καὶ στεφάνῳ ἐστολισμένον, οἷα που καὶ τὴν γερουσίαν γράφουσι, δακτυλίῳ τινὶ σφραγῖδα αὐτῷ ἔς τε τὴν ἀριστερὰν σφαγὴν καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ἐς τὴν δεξιὰν ἐπιβεβληκέναι.*

De ominibus, quibus Traiani imperium praedictum sit, quae in Aur. Vict. Ep. 27 (pleraque mirifica, cornix loquens) commemorata videmus, iam supra diximus (pag. 39).

Ille ingens terrae motus, quo praeter alias urbes Antiochiam Traiano ibi morante paene totam deletam esse atque innumerabilem hominum numerum periisse accuratissime apud Dionem aliosque scriptores (Dio Ep. LXVIII. 24, 25; Zon. XI. 22; Orosius VII. 12. 5; Aurelius Victor Caes. 13, Epit. 27) descriptum videmus, utrum omen futurae infelicitatis vel mortis Traiani habitum sit necne, nusquam commemoratur, quamquam ille terrae motus non multos annos ante Traiani obitum accidit.

Quin etiam omen faustum Traiano, cum ibi in magno periculo versaretur, exstitisse Dio narrat:

Ep. LXVIII. 25. 5. *Τραιανὸς δὲ διέφυγε μὲν διὰ θυρίδος ἐκ τοῦ οἰκήματος ἐν ᾧ ἦν, προσελθόντος αὐτῷ*

μείζονός τινος ἢ κατὰ ἄνθρωπον καὶ ἐξαγαγόντος αὐτόν.

Nescio an inter omina enumeranda sint ea prodigia, quae, cum Traianus Atrenis bellum intulisset, accidisse Dio, Ep. LXVIII. 31. 4, narrat:

ἐγίνοντο δὲ βρονταί, καὶ ἴριδες ὑπεφαίνοντο, ἀστραπαί τε καὶ ζάλη χάλαζά τε καὶ κεραυνοὶ τοῖς Ῥωμαίοις ἐνέπιπτον, ὁπότε προςβάλοιεν

καὶ ὁπότε οὖν δειπνοῖεν, μυῖαι τοῖς βρώμασι καὶ τοῖς πώμασι προσιζάνουσαι δυσχερείας ἅπαντα ἐνεπίμπλων.

Si non Traianum brevi moriturum, tamen illum deo invito Atram oppugnare significasse credita mihi videntur.

Hadrianus.

Hadriano oblata multo plura occurrunt omina, quorum magnam partem apud Spartianum reperimus.

Dio narrat unum omen imperii:

Epit. LXIX. 2. 1. *ἐδόκει δὲ ὄναρ πρὸ τῆς ἡμέρας ἐκείνης (ὅτε ἀνηγορεύθη αὐτοκράτωρ) πῦρ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἔν τε αἰθρίᾳ καὶ ἐν εὐδίᾳ πολλῇ, ἐς τὴν ἀριστερὰν αὐτοῦ σφαγὴν ἐμπεσεῖν, ἔπειτα καὶ ἐπὶ τὴν δεξιὰν παρελθεῖν, μήτε ἐκφοβῆσαν αὐτὸν μήτε βλάψαν.*

Idem victoriam, quam de Iudaeis seditiosis reportaturus esset, eorumque interitum prodigiis denuntiatum esse commemorat:

Dio LXIX. 14. 2. *τὸ γὰρ μνημεῖον τοῦ Σολομῶντος, ὃν ἐν τοῖς σεβασμίοις οὗτοι ἄγουσιν, ἀπὸ ταὐτομάτου διελύθη τε καὶ συνέπεσε*

καὶ λύκοι ὕαιναί τε πολλαὶ ἐς τὰς πόλεις αὐτῶν ἐσέπιπτον ὠρυόμεναι (Zon. XI. 2. 3).

Plurima, ut iam supra diximus, omina apud Spartianum legimus.

Spart. Hadr. 2. 4. „ibi a mathematico quodam de futuro imperio id dicitur comperisse quod a patruo

magno Aelio Hadriano peritia caelestium callente praedictum esse conpererat"

ib. 2. 8 „cum sollicitus de imperatoris erga se iudicio, Vergilianas sortes consuleret,

[Aen. VI. 808 sqq.] Quis procul illa autem ramis insignis olivae

sacra ferens? nosco crines incanaque menta
regis Romani primam qui legibus urbem
fundabit, Curibus parvis et paupere terra
missus in imperium magnum, cui deinde subibit,

sors excidit, quam alii Sibyllinis versibus ei provenisse dixerunt"

ib. 2. 9. „habuit autem praesumptionem imperii mox futuri ex fano quoque Niceforii Iovis manante responso"

ib. 3. 5. „in quo magistratu ad perpetuam tribuniciam potestatem omen sibi factum adserit, quod paenulas amiserit quibus uti tribuni plebis pluviae tempore solebant, imperatores autem nunquam"

Cum iam imperator factus in montem Casium videndi solis ortus causa nocte ascendisset, magnum prodigium accidisse Spartianus tradit, 14. 3:

„imbre orto fulmen decidens hostiam et victimarium sacrificanti adflavit."

Occurrunt apud Spartianum nonnulla portenta similia eis, quae Vespasiano accidisse narrantur (cf. pag. 35):

ib. 25. 1. 2. „Ea tempestate (cum Hadrianus saepius vitam sibi eripere conatus esset) supervenit quaedam mulier, quae diceret, somnio se monitam, ut insinuaret Hadriano, ne se occideret, quod esset bene valiturus. quod cum non fecisset, esse caecatam. iussam tamen iterum Hadriano eadem dicere, atque genua eius osculare recepturam visum, si id fecisset. quod cum insomnium implesset, oculos recepit, cum aqua, quae in fano erat, ex quo venerat, oculos abluisset"

ib. 25. 3. 4. „venit et de Pannonia quidam vetus caecus ad febrientem Hadrianum eumque contingit. quo facto et ipse oculos recepit, et Hadrianum febris reliquit."

Signa mortis haec Spartianus affert:

ib. 26. 6. „natali suo ultimo, cum Antoninum commendaret, praetexta sponte delapsa caput ei aperuit"

ib. 26. 7. „anulus, in quo imago ipsius sculpta erat, sponte de digito delapsus est"

ibid. 26. 8. „ante diem natalis eius nescio qui ad senatum ululans venit. contra quem Hadrianus ita motus est quasi de sua morte loqueretur, cum eius verba nullus agnosceret"

ib. 26. 9. „idem cum vellet in senatu dicere 'post filii mei mortem', 'post meam' dixit"

ib. 26. 10. „somniavit praeterea, se a patre potionem soporiferam impetrasse"

„item somniavit, a leone se oppressum esse."

Helius Verus.

Quamquam Helius Verus princeps populi Romani non factus est, tamen, cum ab Hadriano Caesar nominatus atque designatus esset, qui populo Romano imperaret, mihi commemorandum esse videtur, quae omina ei exstiterint.

Atque ipse Hadrianus, qui eum adoptaverat et futurum principem designaverat, paulo post praecognosse dicitur illum brevi obiturum (Spart. Hel. 3. 7 sqq.).

Spart. Hel. 4. „satis praeterea constat, eundem (Hadrianum) de Vero saepe dixisse:

[Verg. Aen. VI. 870.] Ostendent terris hunc tantum fata neque ultra
esse sinent"

ib. 4. 2, 3. „cum ... adesset unus ex litteratis ... velletque addere

... nimium vobis Romana propago
visa potens, superi, propria haec si dona fuissent,

Hadrianus dixisse fertur 'hos versus vita non capit Veri', illud addens:

[VI. 884.] ... Manibus date lilia plenis;
purpureos spargam flores animamque nepotis
his saltim accumulem donis et fungar inani
munere"

ib. 4. 4. „... etiam illud dicitur ... dixisse: 'ego mihi divum adoptavi non filium'."

Antoninus Pius.

Iulius Capitolinus multa omina Antonino facta nobis tradidit.

Omina imperium significantia haec affert:

Ant. 3. 1. „nam cum tribunal ascendisset, inter alias adclamationes dictum est 'Auguste, dii te servent'

ib. 3. 3. „in proconsulatu etiam sic imperii omen accepit: nam cum sacerdos femina Trallis ex more proconsules semper hoc nomine salutaret, non dixit 'Ave proconsule', sed 'Have imperator'"

ib. 3. 4. „Cyzici etiam de simulacro dei ad statuam eius corona translata est"

ib. 3. 5. „et post consulatum in virdiario taurus marmoreus cornibus ramis arboris adcrescentibus adpensus est"

„et fulgur caelo sereno sine noxa in eius domum venit"

„et in Etruria dolia, quae defossa fuerant, supra terram reperta sunt"

„statuas eius in omni Etruria examen apium replevit"

„et somnio saepe monitus est dis penatibus eius Hadriani simulacrum inserere."

Praeterea Capitolinus nonnullas calamitates atque prodigia enumerat, cum dicat: „Adversa eius temporibus haec provenerunt", sed neque quid significaverint neque utrum omnino omina sint habita necne, commemorat.

Nihilo secius mihi ea afferenda videntur, cum dubitari non possit, quin, si non calamitatibus, tamen certe portentis aliquid praenuntiatum esse creditum sit.

Legimus apud Capitolinum, Ant. 9. 1:

„adversa eius temporibus haec provenerunt: fames“

„circi ruina“

„terrae motus, quo Rhodiorum et Asiae oppida conciderunt“ (Dio Ep. LXX. 4. 1, 2. *ἐπὶ τοῦ Ἀντωνίνου λέγεται καὶ φοβερώτατος περὶ τὰ μέρη τῆς Βιθυνίας καὶ τοῦ Ἑλλησπόντου σεισμὸς γενέσθαι, καὶ ἄλλας τε πόλεις καμεῖν ἰσχυρῶς ... καὶ ἐξαιρέτως τὴν Κύζικον* Zon. XII. 1; Capitolini et Dionis verba ad eundem terrae motum spectare videntur).

„et Romae incendium, quod trecentas quadraginta insulas vel domos absumpsit“

ib. 2. „et Narbonensis civitas“

„et Antiochense oppidum“

„et Carthaginiense forum arsit“

ib. 3. „fuit et inundatio Tiberis“

„apparuit et stella crinita“

„natus est et biceps puer“

„et uno partu mulieris quinque pueri editi sunt“

ib. 4. „visus est in Arabia iubatus angius maior solitis, qui se a cauda medium comedit“

„lues etiam in Arabia fuit“

„hordeum in Moesia in culminibus arborum natum est“

ib. 5. „quattuor praeterea leones mansueti sponte se capiendos in Arabia praebuerunt.“

Marcus Aurelius.

Marcus imperator pauca modo signa futuri imperii accepit.

Dio Ep. LXXI. 36. 1. *καὶ πρὶ τοῦ Καῖσαρ ἀποδειχθῆναι ὄναρ ἔδοξεν ὤμους τε καὶ χεῖρας ἐλεφαντίνους ἔχειν καὶ αὐταῖς πάντα ὅσα τοῖς ἄλλοις χρῆσθαι* (Capitol. Ant. Phil. 5. 2. „... sciscitatusque, an apti essent oneri ferundo, solito repperit fortiores“)

Cap. Ant. Phil. 4. 3. „in saliatu omen accepit imperii: coronas omnibus in pulvinar ex more iacientibus

aliae aliis locis haeserunt, huius velut manu capiti Martis aptata est."

Commodus.

Scriptores unum omen futuri imperii, ante mortem facta portenta permulta nobis tradiderunt. Pro omine imperii mihi putandum videtur Faustinae matris somnium, quamquam hoc somnium Commodum non tam principem futurum quam hominem ferocissimum ostendere existimo. Legimus apud Aelium Lampridium:

Com. Ant. 1. 3. „Faustina cum esset Commodo cum fratre (gemino) praegnans, visa est in somnis serpentes parere, sed ex his unum ferociorem."

Prodigiorum ante mortem Commodi factorum scriptores magnum numerum, ut iam supra diximus, attulerunt, sed non est dubitandum, quin eorum multa non solum ad Commodi interitum, sed etiam ad alia spectare sint visa.

Nonnulla non tam Commodi caedem quam ingentia bella, quibus brevi post Commodum interfectum paene totus orbis terrarum vastatus sit, praenuntiasse credita esse ex scriptorum verbis elucet.

Alia atque ea non exigua pars ominum, quamvis ad mortem Commodi spectare videatur, certe, quid significaverit, explicare non possumus, praesertim cum scriptores apud quos eam legimus, cum ad illa omina enumeranda aggrediantur, inanioribus verbis utantur, quam ut ex iis aliquid cognoscere possimus, ut Herodianus, I. 14. 1, dicit: *ἐγένοντο δέ τινες κατ᾽ ἐκεῖνο καὶ διοσημίαι* vel Aelius Lampridius, Comm. 16. 1. „Prodigia eius imperio et publice et privatim haec facta sunt."

Quae cum ita sint, hanc ominum enumerandorum rationem instituere mihi proposui, ut primum ea afferam, quae ad Commodi mortem spectare ex scriptorum certis verbis clare appareat, dein ea commemorem, quae bella instantia denuntiare visa sint, denique adiiciam illa, quae modo temporibus Commodi esse facta apud scriptores legamus.

Certa, ut ita dicam, omina mortis haec tria repperi:

Lamprid. Com. 16. 6. „ipse autem prodigium non leve sibi fecit: nam cum in gladiatoris occisi vulnus manum misisset, ad caput sibi detersit"

„et contra consuetudinem paenulatos iussit spectatores non togatos ad munus convenire, quod funebribus solebat, ipse in pullis vestimentis praesidens" (Dio LXXII. 21. 3. *ὅτι μέλλων αὖθις μονομαχῆσαι παρήγγειλεν ἡμῖν ἔν τε τῇ στολῇ τῇ ἱππάδι καὶ ἐν ταῖς μανδύαις ἐς τὸ θέατρον ἐσελθεῖν, ὅπερ οὐκ ἄλλως ποιοῦμεν ἐσιόντες ἐς τὸ θέατρον εἰ μὴ τῶν αὐτοκρατόρων τις μεταλλάξειε.* Zon. XII. 5).

ib. 16. 7. „galea eius bis per portam Libitinensem elata est" (Dio ib. *καὶ ὅτι ἐν τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ τὸ κράνος αὐτοῦ κατὰ τὰς πύλας καθ' ἃς οἱ τελευτῶντες ἐκφέρονται ἐξεκομίσθη. ἐκ γὰρ τούτων καὶ πάνυ πᾶσι πάντως ἀπαλλαγή τις αὐτοῦ γενήσεσθαι ἐνομίζετο.* Zon. ib.).

Prodigia, quibus bella, quae Severus cum Albino et Nigro gerebat, denuntiabantur, ob eam causam maxime hoc loco commemoro, quamquam illa bella post Pertinacis et Iuliani mortem demum exarsere, quod ab omnibus scriptoribus inter signa, quae Commodi mortem antecessere, enumerata sunt. Inveniuntur haec:

Dio Ep. LXXII. 24. 1. *ἀετοί τε γὰρ περὶ τὸ Καπιτώλιον πολλοὶ καὶ ἔξεδροι ἐπλανῶντο, προσεπιφθεγγόμενοι οὐδὲν εἰρηναῖον* (Lampr. Com. 16. 2. „et ante lucem fuerant etiam incendiariae aves ac dirae"; de eodem omine apud utrumque agi mihi videtur)

καὶ βύας ἀπ' αὐτοῦ ἔβυξε (Lampr. C. 16. 5. „bubo etiam supra cubiculum eius deprehensa est tam Romae quam Lanuvii"; idem mihi videtur omen; signum bellorum existimatum esse inde elucet, quod a Dione inter signa bellorum commemoratur)

Dio ib. 24. 1, 2, 3. *πῦρ τε νύκτωρ ἀρθὲν ἐξ οἰκίας τινὸς καὶ ἐς τὸ Εἰρηναῖον ἐμπεσὸν τὰς ἀποθήκας τῶν τε Αἰγυπτίων καὶ τῶν Ἀραβίων φορτίων ἐπενείματο, ἐς*

τε τὸ παλάτιον μετεωρισθὲν ἐσῆλθε καὶ πολλὰ πάνυ αὐτοῦ κατέκαυσεν, ὥστε καὶ τὰ γράμματα τὰ τῇ ἀρχῇ προσήκοντα ὀλίγου δεῖν πάντα φθαρῆναι. ἀφ' οὗ δὴ καὶ τὰ μάλιστα δῆλον ἐγένετο ὅτι οὐκ ἐν τῇ πόλει τὸ δεινὸν στήσεται, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην αὐτῆς ἀφίξεται. οὐδὲ γὰρ κατασβεσθῆναι ἀνθρωπίνῃ χειρὶ ἠδυνήθη ..." (Herodian. I. 14. 2—6. „τὸ μέγιστον δὲ δεινόν, ὅ ... πρὸς τὸ μέλλον οἰωνίσματι καὶ φαύλῳ συμβόλῳ χρωμένους πάντας ἐτάραξεν· ... εἴτε σκηπτοῦ νύκτωρ κατενεχθέντος εἴτε καὶ πυρός ποθεν ἐκ τοῦ σεισμοῦ διαρρυέντος πᾶν τὸ τῆς εἰρήνης τέμενος κατεφλέχθη. ... ἐπενεμήθη καὶ τὰ πλεῖστα τῆς πόλεως καὶ κάλλιστα ἔργα, ὅτε καὶ τῆς Ἑστίας τοῦ νεὼ καταφλεχθέντος ... ὤφθη τὸ τῆς Παλλάδος ἄγαλμα ... συνεβάλλοντο δέ τινες πολέμων σημεῖον εἶναι τὴν τοῦ νεὼ τῆς εἰρήνης ἀπώλειαν· τὰ γοῦν ἀκολουθήσαντα ... ἐκ τῆς ἀποβάσεως τὴν προϋπάρχουσαν φήμην ἐπιστώσατο.

Sed etiam aliam sententiam de his calamitatibus Herodianus affert, ib. 7: ὁ Ῥωμαίων δῆμος ... τὰς αἰτίας τῶν ἐπαλλήλων συμφορῶν ἐς τοὺς ἐκείνου [Κομμόδου], ἀκρίτους φόνους ... ἀνέφερεν. Similem sententiam invenimus apud Orosium, qui etiam commemorat illud incendium, VII. 16. 3: „flagitia regis poena Urbis insequitur. nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio bybliothecam illam, maiorum cura studioque compositam, aedesque alias iuxta sitas rapaci turbine concremavit. deinde aliud incendium postea Romae exortum aedem Vestae et Palatium plurimamque Urbis partem solo coaequavit").

Restat, ut cetera prodigia afferamus, quae Commodi aetate accidisse comperimus, quorum plurima talia sunt omina qualia ante mortem principum fieri solent.

Lamprid. Com. 16. 2. „crinita stella apparuit" (Herod. I. 14. 1. ἀστέρες γὰρ ἡμέριοι συνεχῶς ἐβλέποντο, ἕτεροί τε ἐς μῆκος κεχαλασμένοι ὡς ἐν μέσῳ ἀέρι κρέμασθαι δοκεῖν.

cf. quid Tacitus, ann. XIV. 22, de cometa stella dicat: „inter quae et sidus cometes effulsit, de quo vulgi opinio est tamquam mutationem regis portendat.")

„vestigia deorum in foro visa sunt exeuntia"

„et ante bellum desertorum caelum arsit"

„et repentina caligo ac tenebra in circo calendis Ianuariis oborta"

„de Palatio ipse ad Caelium montem in Vectilianas aedes migravit negans, se in Palatio posse dormire"

„Ianus geminus sua sponte apertus est"

„et Anubis simulacrum marmoreum moveri visum est"

„Herculis signum aeneum sudavit in Minucia per plures dies"

Herod. I. 14. 1. *ζῷά τε παντοῖα καὶ τὴν ἑαυτῶν φύσιν μὴ τηροῦντα σχήμασί τε ἀλλοδαποῖς καὶ μέρεσι σώματος ἀναρμόστοις πολλάκις ἀπεκυήθη.*

Pertinax.

Pertinax nonnulla omina et imperii futuri et futurae mortis accepit.

Dio Epit. LXXIII. 4. 1—4. *ἔτι δὲ ὄντος αὐτοῦ (Περτίνακος) ἐν Βρεττανίᾳ ... ἵππος τις ὄνομα Περτίναξ ἐνίκησεν ἐν τῇ Ῥώμῃ· ἦν δὲ τῶν πρασίνων καὶ ὑπὸ τοῦ Κομμόδου ἐσπουδάζετο. τῶν οὖν στασιωτῶν αὐτοῦ μέγα ἀναβοησάντων, καὶ εἰπόντων τοῦτο, ‘Περτίναξ ἐστίν’, οἱ ἕτεροι οἱ ἀντιστασιασταί σφων, οἷά που ἀχθόμενοι τῷ Κομμόδῳ, προσεπεύξαντο, εἰπόντες οὐ πρὸς τὸν ἵππον ἀλλὰ πρὸς τὸν ἄνδρα ‘εἰ γὰρ ὤφειλεν εἶναι’. ὕστερον δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον ἵππον ... ὁ Κόμμοδος ... ἐσήγαγεν ἐς τὸν ἱππόδρομον ... καὶ αὐτὸν οἱ ἄνθρωποι ἐξαπίνης ἰδόντες ἀνεβόησαν αὖθις ‘Περτίναξ ἐστί’. καὶ ἦν μέν που μαντικὸν αὐτὸ καθ’ ἑαυτὸ τὸ λεχθέν, ἐπειδὴ τῇ ἐσχάτῃ ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ ἱπποδρομίᾳ ἐγένετο, καὶ εὐθὺς ἐπ’ αὐτῇ τὸ κράτος ἐς τὸν Περτίνακα περιῆλθεν*

Capit. Pert. 1. 2. „equus pullus ea hora qua natus est in tegulas ascendit atque ibi breviter commoratus decidit et exspiravit."

Signa mortis fuere haec:

Capit. Pert. 14. 1. „ipse ante triduum quam occideretur in piscina sibi visus est videre hominem cum gladio infestantem"

ib. 2. „et ea die qua occisus est negabant in oculis eius pupulas cum imaginibus quas reddunt spectantibus visas"

ib. 3. „et cum apud lares sacrificaret, carbones vivacissimi extincti sunt, cum inflammari soleant"

„et, ut supra dictum est (11. 2), cor et caput in hostiis non est repertum"

„stellae etiam iuxta solem per diem visae sunt clarissimae, ante diem quam obiret."

Julianus.

Omen imperii Iuliano hoc oblatum est:

Capit. Pert. 14. 4, 5. „et ipse (Pertinax) omen de Iuliano successore dedisse dicitur. nam cum ei Didius Iulianus fratris filium obtulisset, cui despondebat filiam suam, adhortatus est iuvenem ad patrui observationem et adiecit: 'observa collegam et successorem meum'. nam ante Iulianus ei et in consulatu collega fuerat et in proconsulatu successerat" (Spart. Iul. 2. 3).

De Severo participe imperii omen sibi fecerat Iulianus, Spart. Iul. 7. 1, 2:

„Tunc omen quod sibi Iulianus, cum imperium acciperet, fecerat omnibus venit in mentem. nam cum consul designatus de eo sententiam dicens ita pronuntiasset: 'Didium Iulianum imperatorem appellandum esse censeo', Iulianus suggessit: 'Adde et Severum', quod cognomentum avi et proavi sibi Iulianus adsciverat."

Omen pristini interitus sibi fecisse Iulianum refert Spartianus:

Nig. 3. 1, 2. „cum quidem Iulianus dixisse fertur, neque sibi neque Pescennio longum imperium deberi, sed Severo ... quod probavit rei eventus:“

Aliud signum mortis legimus apud eundem:

Iul. 7. 10, 11. „... et carmina profana incantaverunt et ea quae ad speculum dicunt fieri, in quo pueri praeligatis oculis incantato vertice respicere dicuntur, Iulianus fecit. tuncque puer vidisse dicitur et adventum Severi et Iuliani decessionem:“

Etiam illae tres stellae, quae apparuerant Iuliano sacrificante, interitum eius significasse videbantur (Dio LXXIII. 14. 4. *ὥστε ... διαθροεῖν ὅτι δεινὸν αὐτῷ συμβήσεται*).

Septimius Severus.

Praeter Augustum et Vespasianum nullus invenitur princeps, ‘cui tanta prodigiorum copia exstiterit, quanta Septimio Severo. Omina et imperii futuri et victoriarum futurarum et mortis futurae permulta ei oblata sunt.

Quanta celebritate fuerint prodigia, quibus Severo imperium ostentum sit, maxime inde cognosci potest, quod et Cassius Dio librum composuit de somniis et de signis, quibus Severus ad spem principatus futuri adductus sit (Dio Ep. LXXII. 23. 1), et Severus ipse magnam partem eorum in libro, quo vitam suam descripsit, commemoravit atque monumentis publicis effinxit (Herod. II. 9. 4).

Priusquam aggrediamur ad enumeranda omina, quae Severo imperium denuntiaverint, portenta attingere opus est, quae bella Pertinace mortuo inter Severum Albinum Nigrum de imperio exorta ostendere videbantur. Illa portenta, qualia fuerint, atque apud quos scriptores reperiantur, supra accuratius enarravimus (cf. pag. 47).

Omina imperii occurrunt haec:

Dio Ep. LXXIII. 14. 4. *καὶ τούτους (Σεουῆρον Νίγρον Ἀλβῖνον) ἄρα οἱ ἀστέρες οἱ τρεῖς οἱ ἐξαίφνης φανέντες καὶ τὸν ἥλιον περισχόντες, ὅτε τὰ ἐσιτήρια*

πρὸ τοῦ βουλευτηρίου ἔθυεν ὁ Ἰουλιανὸς παρόντων ἡμῶν, ὑπηνίττοντο

(etiam Iuliani mortem significare videbantur; cf. pag. 51)

Dio Ep. LXXIV. 3. 1. *ὅτε γὰρ ἐς τὸ βουλευτήριον ἐσεγράφη, ὄναρ ἔδοξε λύκαινάν τινα κατὰ ταὐτὰ τῷ Ῥωμύλῳ θηλάζειν* (Zon. XII. 8; Spart. Sev. 1. 8)

ib. 3. 1. *μέλλοντί τε αὐτῷ τὴν Ἰουλίαν ἄγεσθαι ἡ Φαυστῖνα ἡ τοῦ Μάρκου γυνὴ τὸν θάλαμόν σφισιν ἐν τῷ Ἀφροδισίῳ τῷ κατὰ τὸ παλάτιον παρεσκεύασεν*

ib. 3. 2. *ὕδωρ τε ἐκ τῆς χειρὸς αὐτῷ καθεύδοντί ποτε, ὥσπερ ἐκ πηγῆς, ἀνεδόθη* (Zon. XII. 8)

καὶ ἐν Λουγδούνῳ ἄρχοντι πᾶσα αὐτῷ ἡ τῶν Ῥωμαίων δύναμις προσῆλθέ τε καὶ ἠσπάσατο, ὄναρ φημί (Zon. XII. 8 ... *ἡ τῶν Ῥωμαίων* ... *βουλὴ καὶ ὁ δῆμος* ... *ἠσπάζετο*)

καὶ ἄλλοτε ἀνήχθη ἐς περιωπὴν ὑπό τινος, καὶ καθορῶν ἀπ' αὐτῆς πᾶσαν μὲν τὴν γῆν, πᾶσαν δὲ τὴν θάλασσαν, ἐφήπτετο αὐτῶν ὥσπερ παναρμονίου τινὸς ὀργάνου, καὶ ἐκεῖνα συνεφθέγγετο (Spart. Sev. 3. 5. „... orbem terrarum Romamque despexit concinentibus provinciis lyra voce vel tibia")

ib. 3. 3. *καὶ αὖθις ἵππον ἐν τῇ ἀγορᾷ τῇ Ῥωμαίᾳ τὸν μὲν Περτίνακα ἀναβεβηκότα ἀπορρῖψαι, ἑαυτὸν δὲ ἑκόντα ἀναλαβεῖν ἐνόμισε*

(Zon. XII. 8; Herod. II. 9. 4—6; apud Herodianum hoc somnium accuratissime descriptum legimus, Herodianus addit huius somnii effigiem aeneam maximam a Severo esse exstructam)

ib. 3. 3. *ὕπαρ δὲ ἐς τὸν βασιλικὸν δίφρον ἔφηβος ὢν ἔτι ἀγνοίᾳ ἐνιδρύθη* (Zon. XII. 8; Spart. Sev. 1. 9)

Dio Ep. LXXVIII. 8. 6. *καὶ γὰρ ἐκεῖνος* (*ὁ Ζεὺς ὁ Βῆλος ὀνομαζόμενος*) *τῷ Σεουήρῳ πρότερον ἰδιωτεύοντί τε ἔτι τὰ ἔπη ταῦτα εἰρήκει,*

ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι

(a Dione omen imperii habitum esse mihi videtur).

Nescio an in ominibus imperii, quae Severo exstiterint, putandum sit illud dictum Iuliani, quo omen sibi fecerat Iulianus de Severo imperii participe (Spart. Iul. 6. 9—7. 2; nos hoc omen supra narravimus, pag. 50).

Apud Spart. Sev. 1. 4. legimus:

„In prima pueritia (Severus) ... nullum alium inter pueros ludum, nisi ad iudices exercuit, cum ipse praelatis fascibus ac securibus ordine puerorum circumstante sederet ac iudicaret."

Utrum hic Severi pueri usus praesagium futuri principis existimatum sit, an modo consuetudo puerilis, e scriptoris verbis non elucet.

ib. 1. 6. „cum Romam venisset, hospitem nanctus qui Hadriani vitam imperatoriam eadem hora legeret, quod sibi omen futurae felicitatis arripuit"

(omen imperii esse habitum apparet ex verbis, quae insequuntur: „habuit et aliud omen imperii")

ib. 1. 7. „cum rogatus ad cenam imperatoriam palliatus venisset, qui togatus venire debuerat, togam praesidiariam ipsius imperatoris accepit"

ib. 1. 10. „dormienti etiam in stabulo serpens caput cinxit et sine noxa expergefactis et adclamantibus familiaribus abiit"

ib. 2. 2. „absolutusque est a Iuliano proconsule, cui et in proconsulatu successit et in consulatu collega fuit et in imperio item successit"

(hanc magistratuum successionem in ominibus imperii esse numeratam existimo, quamquam Spartianus nihil dicit de hac re)

ib. 2. 8, 9. „tunc in quadam civitate Africana, cum sollicitus mathematicum consuluisset, positaque hora ingentia vidisset astrologus, dixit ei: 'Tuam non alienam pone genituram'. cumque Severus iurasset, suam esse, omnia ei dixit quae postea facta sunt"

ib. 3. 4. „tunc ad Hispaniam missus somniavit primo, sibi dici, ut templum Tarraconense Augusti, quod iam labebatur, restitueret"

(nescio an hoc somnium signum imperii habendum sit, quamquam non legi Severum, imperatorem factum, illud templum restituisse)

ib. 3. 9. „et cum audisset, esse in Syria quandam, quae id geniturae haberet ut regi iungeretur, eandem uxorem petit, Iuliam scilicet“ (Spart. Geta 3. 1; Lampr. Alex. Sev. 5. 4)

ib. 4. 6. „cum humi iacens epularetur cum filiis parca cena, pomaque adposita maior filius, qui tunc quinquennis erat, conlusoribus puerulis manu largiore divideret, paterque illum reprehendens dixisset: ‘parcius divide, non enim regias opes possides’, quinquennis puer respondit: ‘sed possidebo’ inquid“

Spart. Nig. 3. 2. „Iulianus dixisse fertur, neque sibi neque Pescennio longum imperium deberi, sed Severo“ (cf. pag. 50 et 51)

ib. 8. 3. „nec defuit alia curiositas, qua requisitum est, qui esset optenturus rem publicam. ad quod ille (Delphici Apollinis vates) respondit alium versum talem:

Fundetur sanguis Albi Nigrique animantis,
Imperium mundi Poena reget urbe profectus“

ib. 8. 6. „item cum quaereretur, quamdiu imperaturus esset, respondisse Graece dicitur:

Bis denis Italum conscendit navibus aequor:
Si tamen una ratis transiliet pelagus.

ex quo intellectum, Severum viginti annos expleturum.“

Victorias quoque, quas de Nigro et Albino, adversariis suis, reportavit, Severus multis signis praecognitas habuit.

Dio Ep. LXXIV. 7. 6, 7. *κἂν παντελῶς ἐκράτησαν (οἱ τοῦ Νίγρου), εἰ μὴ νέφη ἐξ αἰθρίας καὶ ἄνεμος ἐκ νηνεμίας βρονταί τε σκληραὶ καὶ ἀστραπαὶ ὀξεῖαι μεθ' ὑετοῦ λάβρου κατὰ πρόσωπον αὐτοῖς προσέπεσον ... μέγιστον δ' αὕτη ἡ συντυχία τοῦ γενομένου τοῖς μὲν (τοῖς τοῦ Σεουήρου) θάρσος ὡς καὶ παρὰ τοῦ θείου βοηθουμένοις ... ἐμβαλοῦσα τοὺς μὲν καὶ ὑπὲρ τὴν ἰσχὺν ἐπέρρωσε* (Herod. III. 3. 6—8 „... *ὁ δὲ τοῦ*

Σεουήρου στρατὸς ἡσθεὶς τῷ γενομένῳ, τάς τε ψυχὰς ἐπιρρωσθεὶς ὡς προνοίᾳ θείᾳ ὁδηγούμενος ... ἐπὶ Κιλικίαν ἠπείγετο.

Herodianus hoc prodigium, in quo describendo aliquantum a Dione dissentit, non in pugna apud Issum, ut Dio, sed in proelio antea in Tauro monte facto accidisse narrat)

Herod. III. 4. 3. *ἐπεὶ φασὶ καὶ Δαρεῖον Ἀλεξάνδρῳ τὴν ὑστάτην καὶ μεγίστην μάχην συμβαλόντα ἡττηθῆναί τε καὶ ἁλῶναι, τῶν ἀπὸ τῶν ἀρκτῴων μερῶν καὶ τότε τοὺς ἀνατολικοὺς νενικηκότων*

(non dubito, quin hic et locorum et rerum consensus praesagium victoriae Severi creditum sit, quamquam Herodianus nihil de hac re dicit)

Dio Ep. LXXIV. 8. 1, 2. *καὶ τοῦτ'* (cladem Nigrianam) *ἄρα τὸ τοῦ ἱερέως ὄναρ ἐδήλου· ἐν γὰρ τῇ Παννονίᾳ ὄντος τοῦ Σεουήρου ὁ ἱερεὺς τοῦ Διὸς ὄναρ εἶδεν ἄνδρα τινὰ μέλανα ἐς τὸ στρατόπεδον αὐτοῦ ἐσβιαζόμενον καὶ ὑπὸ χειρῶν ἀπολλύμενον· τὸ γὰρ ὄνομα τοῦ Νίγρου ἐξελληνίζοντες οἱ ἄνδρωποι τὸν μέλανα ἐκεῖνον εἶναι ἔγνωσαν*

Spart. Sev. 10. 7. „et primo quidem ab Albinianis Severi duces victi sunt. tunc sollicitus cum consuleret a Pannoniacis auguribus, comperit se victorem futurum, adversarium vero nec in potestatem venturum neque evasurum sed iuxta aquam esse periturum" (Capit. Albin. 9. 2).

Praeterea multa alia commemorantur prodigia, quae Severi temporibus facta ad Severum spectare videntur.

Cum bellum Scytharum instaret, hoc accidisse portentum legimus apud Dionem, LXXV. 3. 1:

ἐν δε τῷ καιρῷ τούτῳ τοὺς Σκύθας πολεμησείοντας βρονταί τε καὶ ἀστραπαὶ μετ' ὄμβρου καὶ κεραυνοὶ βουλευομένοις σφίσιν ἐξαίφνης ἐμπεσόντες, καὶ τοὺς πρώτους αὐτῶν τρεῖς ἄνδρας ἀποκτείναντες, ἐπέσχον.

Nigro devicto, cum contra Albinum bellum pararet Severus, tria prodigia evenisse Dio narrat:

Dio Ep. LXXV. 4. 2—5. *ἦν μὲν γὰρ ἡ τελευταία πρὸ τῶν Κρονίων ἱπποδρομία, καὶ συνέδραμεν ἐς αὐτὸ ἄπλετόν τι χρῆμα ἀνθρώπων ... ἐνταῦθα σιγάσαντες ἀλλήλους ἐξαίφνης τάς τε χεῖρας πάντες ἅμα συνεκρότησαν καὶ προσεπεβόησαν, εὐτυχίαν τῇ τοῦ δήμου σωτηρίᾳ αἰτούμενοι ... οὕτω μὲν ἔκ τινος θείας ἐπιπνοίας ἐνεθουσίασαν*

ib. 4. 6. *καὶ πῦρ αἰφνίδιον νυκτὸς ἐν τῷ ἀέρι τῷ πρὸς βορρᾶν τοσοῦτον ὤφθη ὥστε τοὺς μὲν τὴν πόλιν ὅλην τοὺς δὲ καὶ τὸν οὐρανὸν αὐτὸν καίεσθαι δοκεῖν*

ib. 4. 7. *ψεκὰς ἐν αἰθρίᾳ ἀργυροειδὴς ἐς τὴν τοῦ Αὐγούστου ἀγορὰν κατερρύη.*

Quid significare visus sit cometes ille Romae conspectus, certe cognoscere non possumus. Dio scribit:

LXXV. 16. 5. *ὤφθη δὲ ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας καὶ κομήτης ἀστὴρ ἐν τῇ Ῥώμῃ, καὶ οὐκ αἴσιόν τι σημαίνειν ἐλέγετο.*

Plautiani interitus ostentis denuntiatus esse videbatur:

Dio Ep. LXXVI. 2. 1, 2. *ἐν δὲ τῷ Βεσβίῳ τῷ ὄρει πῦρ τε πλεῖστον ἐξέλαμπε καὶ μυκήματα μέγιστα ἐγένετο, ὥστε καὶ ἐς τὴν Καπύην ... ἐξακουσθῆναι· ... ἐδόκει οὖν ἐκ τῶν περὶ τὸ Βέσβιον γεγονότων νεοχμόν τι ἔσεσθαι, καὶ μέντοι καὶ τὰ περὶ τὸν Πλαυτιανὸν αὐτίκα ἐνεοχμώθη*

ib. 3. 4. „*ὅμως πιστὸν αὐτὸ* (sibi a Plautiano insidias parari) *ἔδοξε τῷ Σεουήρῳ, ὅτι τῇ νυκτὶ τῇ προτεραίᾳ τὸν Ἀλβῖνον ὄναρ ζῶντά τε καὶ ἐπιβουλεύοντα αὐτῷ ἑοράκει.*

Denique commemoranda sunt duo oracula, quorum alterum, qualem Severus in re publica regenda se praestiturus sit, alterum, qualis posterorum fortuna futura sit, praenuntiat:

Spart. Nig. 8. 1, 2. „Denique Delfici Apollinis vates in motu rei publicae maximo, cum nuntiaretur tres esse imperatores, Severum ..., Nigrum, ... Albinum, con-

sultus quem expediret rei publicae imperare, versum Graecum huiusmodi fudisse dicitur:

'Optimus est Fuscus, bonus Afer, pessimus Albus'. ex quo intellectum, Fuscum Nigrum appellatum vaticinatione, Severum Afrum, Album vero Albinum dictum"

Dio Ep. LXXVIII. 8. 6. *καὶ μετὰ ταῦτα αὐτοκράτορι γενομένῳ (Σεουήρῳ) ταῦτ' εἶπε (Ζεὺς ὁ Βῆλος ὀνομαζόμενος) χρωμένῳ, ὅτι*

οἶκος δέ σοι πᾶς βήσεται δι' αἵματος.

Omina mortis Severo haec exstiterunt:

Dio Ep. LXXVI. 11. 1. *ᾔδει δὲ τοῦτο (ὅτι οὐκ ἀνακομισθήσεται ἐκ Βρεττανίας) μάλιστα μὲν ἐκ τῶν ἀστέρων ὑφ' ὧν ἐγεγέννητο ...*

ib. 11. 2. *ᾔδει δὲ καὶ παρὰ μάντεων ἀκούσας. ἀνδριάντι γὰρ αὐτοῖ πρὸς ταῖς πύλαις δι' ὧν ἐκστρατεύσειν ἔμελλεν ἑστῶτι, καὶ πρὸς τὴν ὁδὸν τὴν ἐκεῖσε φέρουσαν ἀποβλέποντι, σκηπτὸς ἐμπεσὼν τρία ἀπὸ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ γράμματα ἀπήλειψε· καὶ διὰ τοῦθ', ὡς οἱ μάντεις ἀπεφήναντο, οὐκ ἐπανῆκεν ἀλλὰ καὶ τρίτῳ ἔτει μετὰ τοῦτο μετήλλαξε*

Spart. Sev. 22. 1, 2. „ipse somnavit quattuor aquilis et gemmato curru praevolante nescio qua ingenti humana specie ad caelum esse raptum; cumque raperetur, octoginta et novem numeros explicuisse, ultra quot annos ne unum quidem annum vixit, nam ad imperium senex venit; cumque positus esset in circulo ingenti aereo, diu solus et destitutus stetit, cum vereretur autem, ne praeceps rueret, a Iove se vocatum vidit atque inter Antoninos locatum"

ib. 22. 3. „die circensium cum tres Victoriolae more solito essent locatae gypseae cum palmis, media, quae ipsius nomine adscriptum orbem tenebat, vento icta de podio stans decidit et humi constitit"

ib. 22. 4. „post murum apud vallum missum in Brittania cum ad proximam mansionem rediret non

solum victor sed etiam in aeternum pace fundata volvens animo, quid ominis sibi occurreret, Aethiops quidam e numero militari, clarae inter scurras famae et celebratorum semper iocorum, cum corona e cupressu facta eidem occurrit"

ib. 22. 5. „quem cum ille iratus removeri ab oculis praecepisset, et coloris eius tactus omine et coronae, dixisse ille dicitur ioci causa:

'Totum fuisti, totum vicisti, iam deus esto victor'"

ib. 22. 6. „et in civitatem veniens cum rem divinam vellet facere, primum ad Bellonae templum ductus est errore haruspicis rustici"

„deinde hostiae furvae sunt adplicitae"

ib. 22. 7. „quod cum esset aspernatus atque ad Palatium se reciperet, neglegentia ministrorum nigrae hostiae et usque ad limen domus Palatinae imperatorem secutae sunt."

Pescennius Niger.

Ad Pescennium Nigrum nonnulla omina spectare videbantur. Imperium eius, sicut etiam Severi et Albini, praenuntiatum existimabatur illis tribus stellis, quae Iuliano sacrificanti apparuerunt (Dio Ep. LXXIII. 14. 4; cf. pag. 51 et 52).

Qualem imperator factus se praebiturus esset, praedictum est Apollinis Delphici vate, qui vaticinabatur:

„Optimus est Fuscus, bonus Afer, pessimus Albus"
(Spart. Nig. 8. 1, 2; cf. pag. 56 et 57).

Signa mortis compluria accepit Niger. In eorum numero collocandum mihi videtur illud dictum Iuliani neque sibi neque Pescennio longum imperium deberi (Spart. Nig. 3. 1, 2; cf. pag. 50 et 51).

Praeterea omina, quae cladem et mortem futuram ei ostendebant, commemorantur haec:

Dio Ep. LXXIV. 6. 3. ἀετός τε γὰρ ἐπ' ἄγαλμα

στρατιωτικὸν ἱζήσας ἐπὶ τοσοῦτον ἐπέμεινε, καίπερ ἀποσοβούμενος, ὥστε καὶ ἁλῶναι

καὶ μέλισσαι κηρία περὶ τὰ σημεῖα τὰ στρατιωτικά, τάς τε εἰκόνας αὐτοῦ μάλιστα, περιέπλασσον.

Etiam adducenda sunt hoc loco illa prodigia, quae ut Severo victoriam ita Nigro interitum significare videbantur, quae iam supra accuratius descripsimus, dico somnium sacerdotis, qui hominem nigrum pereuntem per quietem viderat (Dio Ep. LXXIV. 8. 1, 2; pag. 55),

et tempestatem inter pugnam ortam, quae Severianis militibus emolumento, Nigrianis damno fuit (Dio Ep. LXXIV. 7. 6, 7; Herod. III. 3. 6—8; cf. pag. 54 et 55)

et quod pugna eo loco commissa sit, quo iam priore aetate exercitus, qui ab occidente venerat, de copiis ab oriente profectis victoriam reportaverit (Herod. III. 4. 3; cf. pag. 55).

Clodius Albinus.

Clodio Albino compluria signa, maxime imperii, facta sunt. Eius principatum significabat unum ex illis tribus sideribus, quae Iuliano immolante sunt visa (Dio Ep. LXXIII. 14. 4; cf. pag. 51 et 52). Praeterea haec accepit omina:

Capit. Albin. 5. 3. „nam et bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus est“

ib. 5. 6, 7. „fuit et aliud signum futuri imperii. nam cum Caesareana familia hoc speciale habuerit, ut parvuli domus eius in testudineis alveis lavarentur, nato infantulo testudo ingens patri eius munere piscatoris adlata est: quod ille homo litteratus omen accipiens et testudinem libenter accepit et eam curari iussit atque infantulo ad excaldationes pueriles dicari, nobilitandum etiam hinc sperans“

ib. 5. 8. „cum rarum esset, aquilas in his locis videri, in quibus natus est Albinus, septima eius die hora convivii, quod celebritati pueri deputabatur, cum ei fierent nomina, septem aquilae parvulae de nidis adlatae sunt et quasi ad iocum circa cunas pueri

constitutae: ne hoc omen pater abnuit, iussit aquilas ali et diligenter curari"

ib. 5. 9. „accessit omen, quod, cum pueri eius familiae russulis fasciolis inligarentur, quod forte lotae atque udae essent russulae fasciolae, quas mater praegnans paraverat, purpurea matris inligatus est fascea: unde illi ioco nutricis etiam Porfyri nomen inditum est."

Etiam alia signa imperii futuri fuisse Capitolinus affirmat. Se victoriam adepturum esse in bello contra Severum speravit Albinus ex hoc oraculo:

ib. 5. 4, 5. „quae tamen in templo Apollinis Cumani ab eodem posita iam tribuno diu fuisse dicuntur, quod, cum illic sortem de fato suo tolleret, his versibus eidem dicitur esse responsum:

[Verg. Aen. VI. 857—58]. Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques, sternet Poenos Gallumque rebellem.

et in Gallia quidem eum multas gentes domuisse constat. ipse autem suspicabatur de Severo sibi praedictum 'Sternet Poenos', quod Septimius Afer esset."

Ad Albinum quoque spectabat illud oraculum Apollinis Delphici:

'Optimus est Fuscus, bonus Afer, pessimus Albus' (Spart. Nig. 8. 1, 2; cf. pag. 56 et 57), ex quo versu Albinus noluit ad se trahere 'pessimus Albus', sed 'bonus Afer', quod esset Hadrumetinus (Cap. Alb. 1. 4).

Albini interitus ostendebatur Severo, cum is ancipiti Marte contra Albinum pugnaret:

Cap. Alb. 9. 2. „Denique cum sollicitus augures consuleret, responsum illi est, ut dicit Marius Maximus, venturum quidem in potestate eius Albinum, sed non vivum nec mortuum. quod et factum est" (Spart. Sev. 10. 7; cf. pag. 55).

Caracalla.

Quamvis magnus sit numerus prodigiorum, quae Caracallae exstiterint, tamen pauca modo omina imperii ille accepit. In his collocandum est illud signum, quod iam supra inter ea signa, quae Severo principatum ostenderint, adduximus, quod spectare vel ad Severum vel ad Caracallam vel ad utrumque existimare licet: Cum Severus pater Caracallam reprehendens, quod largiore manu puerulis conlusoribus divideret, dixisset: „parcius divide, non enim regias opes possides", quinquennem puerum respondisse: „sed possidebo" (Spart. Sev. 4. 6; cf. pag. 54).

Aliud omen, de Caracalla sibi successuro, accepit Severus:

> Spart. Geta 1. 3, 4. „Septimus Severus quodam tempore cum consuluisset ac petisset, ut sibi indicaretur quo esset successore moriturus, in somnis vidit Antoninum sibi successurum. quare statim ad milites processit et Bassianum, filium maiorem natu, Marcum Aurelium Antoninum appellavit" (Spart. Sev. 10. 4)
>
> Spart. Nig. 8. 4, 5. „item, cum quaesitum esset (a Delphici Apollinis vate), quis illi (Severo) successurus esset, respondisse itidem Graeco versu dicitur:
>
> 'Cui dederint superi, nomen habere Pii'.
>
> quod omnino intellectum non est, nisi cum Bassianus Antonini, quod verum signum Pii fuit, nomen accepit."

Nescio an id in ominibus imperii numerandum sit, quod ante Severi mortem die circensium accidisse atque pro signo mortis Severi ductum esse Spartianus refert: Cum ille die tres Victoriolae essent locatae, mediam, quae Severi nomine adscriptum orbem tenuisset, decidisse, quae Getae nomine inscripta esset, omnem comminutam esse, illam vero, quae Bassiani titulum praetulisset, amissa palma venti turbine vix constitisse (Spart. Sev. 22. 3; vix constitit Caracallae statua, sed tamen constitit).

Prodigia, quibus praenuntiabantur inimicitiae et caedes,

quae postea inter fratres exercebantur, infra commemorabimus, cum de signis, quae Getae mortem ostenderint, verba faciamus.

Omina mortis Caracallae multa oblata sunt. Pro signo interitus ducendum id mihi videtur, quod Manes Commodi ei pronuntiaverunt:

Dio Ep. LXXVII. 15. 4, 5. *καὶ διὰ ταῦτα ἐψυχαγώγησε μέν … ἄλλας τέ τινας καὶ τὴν τοῦ πατρὸς τοῦ τε Κομμόδου ψυχήν, εἶπε δ' οὐδεὶς οὐδὲν αὐτῷ πλὴν τοῦ Κομμόδου· τῷ γὰρ Σεουήρῳ καὶ ὁ Γέτας, ὥς φασι, καὶ ἄκλητος ἐφέσπετο … ἔφη γὰρ ταῦτα, 'βαῖνε δίκης ἄσσον, θεοῦ δίκης αἰτοῦσι Σεουήρῳ', εἶθ' ἕτερόν τι, καὶ ἐπὶ τελευτῆς 'κρυφίοισι τόποισιν ἔχων δυσαλθέα νοῦσον'* (Zon. XII. 12).

Praeterea accepit haec signa mortis:

Dio Ep. LXXVIII. 4. 4. *καὶ ὅτι Σεραπίων τις Αἰγύπτιος ἄντικρυς τῷ Ἀντωνίνῳ πρὸ ὀλίγων ἡμερῶν εἰρήκει ὅτι τε ὀλιγοχρόνιος ἔσοιτο*

ib. 7. 1. *ὅ τε γὰρ πατὴρ αὐτοῦ μέλλοντί οἱ ἐκ τῆς Ἀντιοχείας τὴν τελευταίαν ἔξοδον ποιήσασθαι ξιφήρης ὄναρ ἐπέστη, λέγων ὅτι ὡς σὺ τὸν ἀδελφὸν ἀπέκτεινας, καὶ ἐγὼ σὲ ἀποσφάξω* (Zon. XII. 12)

ib. 7. 2. *καὶ οἱ μάντεις εἶπον αὐτῷ τὴν ἡμέραν ἐκείνην φυλάττεσθαι, τούτῳ τῷ ῥήματι ἄντικρυς χρησάμενοι, ὅτι αἱ τοῦ ἥπατος τοῦ ἱερείου πύλαι κέκλεινται* (Zon. XII. 12; … *καὶ ἄλλα δέ φασι τοῦ ὀλέθρου αὐτῷ συμβῆναι τεκμήρια*)

ἀφ' οὗ δὴ καὶ διὰ θύρας τινὸς ἐξῆλθε, μηδὲν μηδὲ τοῦ λέοντος, ὃν καὶ Ἀκινάκην ὠνόμαζε καὶ ὁμοτράπεζον ὁμόκλινόν τε ἐποιεῖτο, φροντίσας, ὅτι καὶ ἐκράτησεν αὐτὸν ἐξιόντα καὶ τὴν ἐσθῆτα αὐτοῦ προςκατέρρηξεν

ib. 7. 3, 4. *καὶ ὀλίγον πρὸ τοῦ θανάτου αὐτοῦ ἔν τε τῇ Ἀλεξανδρείᾳ πῦρ ἐξαίφνης πολύ, ὥς γε καὶ ἤκουσα, πάντα τὸν τοῦ Σαράπιδος ναὸν ἔνδοθεν κατασχὸν ἄλλο μὲν οὐδὲν τὸ παράπαν ἐλυμήνατο, τὸ δὲ δὴ ξίφος ἐκεῖνο ᾧ τὸν ἀδελφὸν ἀπεσφάκει μόνον ἔφθειρεν*

καὶ μετὰ τοῦτο παυσαμένου αὐτοῦ ἀστέρες πολλοὶ ἐφάνησαν

ib. 7. 4, 5. καὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ δαίμων τις ἀνθρώπου σχῆμα ἔχων ὄνον ἔς τε τὸ Καπιτώλιον καὶ μετὰ τοῦτο ἐς τὸ παλάτιον ἀνήγαγεν, ζητῶν τὸν δεσπότην αὐτοῦ, ὥς γε καὶ ἔφασκεν, καὶ λέγων ἐκεῖνον μὲν ἀπολωλέναι, τὸν δὲ Δία ἄρχειν. συλληφθείς τε ἐπὶ τούτῳ καὶ πρὸς τὸν Ἀντωνῖνον ὑπὸ τοῦ Ματερνιανοῦ πεμφθείς 'ἀπέρχομαι μέν' ἔφη 'ὡς κελεύεις, ἀφίξομαι δὲ οὐ πρὸς τοῦτον τὸν αὐτοκράτορα ἀλλὰ πρὸς ἕτερον', καὶ μετὰ τοῦτ' ἐς τὴν Καπύην ἐλθὼν ἀφανὴς ἐγένετο

ib. 8. 1. τῇ δε ἱπποδρομίᾳ τῇ τῆς τοῦ Σεουήρου ἀρχῆς ἕνεκα ποιουμένῃ κατέπεσε μὲν καὶ τὸ τοῦ Ἄρεος ἄγαλμα πομπεῦον

ib. 8. 2. τὸ δὲ δὴ μέγιστον, ἡττημένοι οἱ πράσινοι στασιῶται, ἔπειτα κολοιὸν ἐπ' ἄκρου τοῦ ὀβελίσκου πάνυ σφόδρα κρώζοντα ἰδόντες πάντες τε πρὸς αὐτὸν ἀπέβλεψαν, καὶ πάντες ἐξαίφνης ὡς καὶ ἐκ συγκειμένου τινὸς ἀνεβόησαν 'Μαρτιάλιε, χαῖρε· Μαρτιάλιε, διὰ χρόνου σε ἑοράκαμεν', οὐχ ὅτι καὶ ὁ κολοιός ποτε οὕτως ὠνομάσθη, ἀλλ' ὅτι δι' ἐκείνου τὸν Μαρτιάλιον τὸν τοῦ Ἀντωνίνου φονέα ὡς καὶ ἐξ ἐπιπνοίας τινὸς θείας ἠσπάσαντο

ib. 8. 3. ἤδη δέ τισι καὶ αὐτὸς ἑαυτῷ ὁ Ἀντωνῖνος τὴν τελευτὴν προδηλῶσαι ἔδοξεν, ἐπειδὴ ἐν τῇ ἐπιστολῇ ἣν τελευταίαν τῇ γερουσίᾳ ἔπεμψεν ἔφη ὅτι παύσασθε εὐχόμενοί με ἑκατὸν ἔτεσι μοναρχῆσαι ... λόγῳ μὲν ἐγκαλῶν σφισιν ὡς καὶ ἀδύνατα εὐχομένοις

ib. 8. 4, 5. καὶ ἐμοὶ ἐνθύμιον ἐγένετο ὅτι ἐν τῇ Νικομηδείᾳ τοῖς Κρονίοις ἑστιῶν ἡμᾶς καὶ πολλὰ ἄττα, οἷα ἐν συμποσίῳ εἰκὸς ἦν, εἰπών, ἔπειτ' ἐξανισταμένων ἡμῶν προσκολεσάμενος ἔφη 'κάλλιστα, ὦ Δίων, καὶ ἀληθέστατα ὁ Εὐριπίδης εἴρηκεν ὅτι

πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων,
πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί,
καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη,

τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.
τοιόνδ' ἀπέβη τόδε πρᾶγμα.

... ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἐς μακρὰν ἀπώλετο καὶ τελευταίαν ταύτην φωνὴν πρὸς ἐμὲ ἔρρηξε, καὶ πάνυ κεχρησμῳδηκέναι τρόπον τινὰ τὰ συμβησόμενα αὐτῷ ἐνομίσθη

Spart. Carac. 8. 8, 9. „et fertur quidem Papinianus, cum raptus a militibus ad Palatium traheretur occidendus, praedivinasse dicens, stultissimum fore qui in suum subrogaretur locum, nisi adpetitam crudeliter praefecturam vindicaret. quod factum est: nam Macrinus Antoninum occidit."

Geta.

Quod Caracallae infausta omina multa, pauca modo fausta apparuerunt, Geta frater paene nullum accepit signum, quo non aliquid triste ei praenuntiaretur.

Futurum imperium nullo alio praesagio ei ostendebatur, nisi quod a Severo, cum hic comperisset Antoninos sibi successuros (Spart. Sev. 10. 4; Sp. Nig. 8. 4, 5; Sp. Geta 1. 3, 3. 5; cf. pag. 61), Antoninus appellatus erat. Sed illa quoque vaticinatio magis ad Caracallam, qui initio una cum fratre dein solus principatum tenuit, quam ad Getam spectare videbatur, quamquam non modo illum sed etiam hunc Antoninum esse appellatum satis constat (Spart. Sev. 10. 5. „unde Getam etiam quidam Antoninum putant dictum, ut et ipse succederet in imperio"; Spart. Geta 1. 5, 6. „cum id fecisset ... etiam Getam, minorem filium, Antoninum vocari iussit. itaque semper ab eo in epistulis familiaribus dictus est, cum si forte abesset, scriberet: Salutate Antoninos filios et successores meos").

Eius genitura iam Severus pater sollicitatus est:

Spart. Geta 2. 6, 7. „De hoc eodem Severus, gnarus geniturae illius ... dixisse fertur: 'Mirum mihi videtur, Iuvenalis amantissimus, Geta noster divus futurus, cuius nihil imperiale in genitura video'"

(Caracalla, cum eum occidisset, locutus, ibi 2. 8: „Sit divus, dum non sit vivus").

Discordia, quae patre mortuo inter Caracallam et Getam exstitit atque causa mortis Getae facta est, nonnullis prodigiis significata erat:

Dio Ep. LXXVII. 1. 4, 5. *πάντα δὲ τὰ ἐναντιώτατα ἔδρων, καὶ ἦν οὐκ ἄδηλον ὅτι δεινόν τι παρ' αὐτῶν γενήσοιτο. ὅπερ που καὶ πρὶν πρὸς τὴν Ῥώμην αὐτοὺς ἐλθεῖν προεγνώσθη· θύειν τε γὰρ ὑπὲρ τῆς ὁμονοίας αὐτῶν τοῖς τε ἄλλοις θεοῖς καὶ αὐτῇ τῇ Ὁμονοίᾳ ψηφισθὲν ὑπὸ τῆς βουλῆς, οἱ μὲν ὑπηρέται τὸ τῇ Ὁμονοίᾳ τυθησόμενον ἱερεῖον ἡτοίμασαν, καὶ ὁ ὕπατος ὡς καὶ βουθυτήσων ἀφίκετο, οὔτε δὲ οὗτος ἐκείνους οὐθ' οἱ ὑπηρέται τὸν ὕπατον εὑρεῖν ἠδυνήθησαν, ἀλλὰ διετέλεσαν πᾶσαν ὡς εἰπεῖν τὴν νύκτα ζητοῦντες ἀλλήλους, ὥστε μὴ δυνηθῆναι τότε τὴν θυσίαν γενέσθαι*

ib. 1. 6. *καὶ τῇ ὑστεραίᾳ δύο λύκοι ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀναβάντες ἐκεῖθεν ἐξεδιώχθησαν, καὶ ὁ μὲν ἐν τῇ ἀγορᾷ που καταληφθεὶς ὁ δὲ μετὰ ταῦτα ἔξω τοῦ πωμηρίου ἐσφάγη.*

Huc spectasse videtur, quod Iuppiter Belus Severo vaticinatus est:

Dio Ep. LXXVIII. 8. 6. *καὶ μετὰ ταῦτα αὐτοκράτορι γενομένῳ ταῦτ' εἶπε χρωμένῳ, ὅτι*

'οἶκος δέ σοι πᾶς βήσεται δι' αἵματος'.

Getam praematura morte per fratrem periturum esse, praeterea hisce ominibus nuntiatum erat:

Spart. Geta 3. 2, 3. „statim ut natus est, nuntiatum est, ovum gallinam in aula peperisse purpureum. quod cum allatum Bassianus frater eius accepisset et quasi parvulus adplosum ad terram fregisset, Iulia dixisse ioco fertur: 'Maledicte parricida, fratrem tuum occidisti'"

ib. 3. 5, 6. „fuit etiam aliud omen: nam cum in villa cuiusdam Antonini, plebei hominis, agnus natus esset, qui vellus in fronte purpureum haberet, eadem

die atque hora qua Geta natus est, audissetque ille ab haruspice, post Severum Antoninum imperaturum, ac de se ille auguraretur sed tamen talis fati timeret indicium, ferro eum adegit. quod et ipsum signo fuit, Getam ab Antonino interimendum, ut postea satis claruit"

ib. 3. 7, 8. „fuit etiam aliud omen ingens, ut postea exitus docuit huius facinoris quod evenit: nam cum infantis Getae natalem Severus commendare vellet, hostiam popa nomine Antoninus percussit"

ib. 4. 5. „qui (Caracalla) cum contenderet et diceret quasi ioco quasi serio, omnes cum liberis occidendos partium diversarum, Geta ei dixisse dicitur: 'Tu qui nulli parcis, potes et fratrem occidere'"

Spart. Sev. 22. 3. „at quae Getae nomine inscripta erat (Victoriola; cf. pag. 61), corruit et omnis comminuta est."

Macrinus.

Macrino nonnulla signa imperii, mortis praesagia multa exstiterunt.

Imperium futurum his omnibus ei portendebatur:

Dio Ep. LXXVIII. 4. 1. *ἐπειδὴ γὰρ μάντις τις ἐν τῇ Ἀφρικῇ εἶπεν ... ὅτι καὶ τὸν Μακρῖνον τὸν ἔπαρχον καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ Διαδουμενιανὸν αὐταρχῆσαι δεῖ* (Zon. XII. 12)

ib. 4. 4. *καὶ ὅτι Σεραπίων τις Αἰγύπτιος ἄντικρυς τῷ Ἀντωνίνῳ πρὸ ὀλίγων ἡμερῶν εἰρήκει ὅτι ... ἐκεῖνος (Μακρῖνος) αὐτὸν διαδέξοιτο*

ib. 7. 4, 5; cf. pag. 63 (cf. etiam Dio ib. 11. 1).

Praeterea pro omine imperii putandum est, quod mathematici accepta Diadumeniani filii genitura dixerint imperatoris illum filium futurum esse (Lamprid. Diad. 5. 1, 4; cf. pag. 69).

Omina mortis accepit Macrinus haec:

Dio Ep. LXXVIII. 25. 1. *ἔμελλε δ' οὐδ' ὁ Μακρῖνος ἐπὶ πολὺ περιοίσειν, ὥς που καὶ προεθηλώθη αὐτῷ. ἡμιόνός τε γὰρ ἡμίονον ἐν τῇ Ῥώμῃ* (ἔτεκεν)

καὶ χοῖρος χοιρίδιον ὦτα τέσσαρα καὶ γλώσσας δύο πόδας τε ὀκτὰ ἔχον ἔτεκεν

καὶ σεισμὸς ἰσχυρὸς ἐγένετο

αἷμά τε ἐκ σωλῆνος ἐρρύη

καὶ μέλισσαι κηρία ἐν τῇ ἀγορᾷ τῇ βοαρίᾳ ἐνέπλασαν

ib. 25. 2. 3. *τό τε θέατρον τὸ κυνηγετικὸν κεραυνοῖς ἐν αὐτῇ τῇ τῶν Ἡφαιστείων ἡμέρᾳ βληθὲν … κατεφλέχθη … οὐδὲ ἐπαρκέσαι αὐτῷ οὔτε ἀνθρωπίνη ἐπικουρία … οὔθ' ἡ τοῦ οὐρανίου ἐπίρροια πλείστη τε καὶ σφοδροτάτη γενομένη ἠδυνήθη*

ἐνεπρήσθη μὲν γὰρ καὶ ἄλλα τινά, καὶ τῶν βασιλικῶν κτημάτων μάλιστα, ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτοῖ πολλάκις, ὅπερ που καὶ αὐτὸ ἐξαίσιον ἀεί ποτε νενόμισται

ib. 25. 5. *καὶ ὅτι ὁ Τίβερις ἐν τῇ αὐτῇ ἐκείνῃ ἡμέρᾳ πληθύσας ἔς τε τὴν ἀγορὰν καὶ ἐς τὰς περὶ αὐτὴν ὁδοὺς τοσαύτῃ ῥύμῃ ἐσέβαλεν ὥστε καὶ ἀνθρώπους παρασυρῆναι*

γυνή τέ τις … βλοσυρὰ καὶ ὑπέρογκος ὀφθεῖσά τισιν ἔφη ὅτι ἐλάχιστα ταῦτα πρὸς τὰ μέλλοντα αὐτοῖς συμβήσεσθαί ἐστιν.

Prodigia, quae adhuc adduximus, in eorum numero collocavimus, quibus Macrini interitus significatus sit, sed eorum pars ad alia simul spectare videtur. Incendia enim et Tiberis inundationem et mulierem vaticinantem non modo Macrini necem sed omnino rei publicae perturbationem, quae insecuta est, dico bella cum barbaris gesta et bella domestica inter Macrinum et Elagabalum, praenuntiasse perspicuum est (cf. Dio Ep. LXXVIII. 26. 1. *καὶ ἔσχεν οὕτως· οὐδὲ γὰρ ἐν τῇ πόλει μόνῃ τὸ δεινὸν ἔμεινεν, ἀλλὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην αὐτῆς, ὑφ' ἧς τὸ θέατρον ἀεί ποτε ἐπληροῦτο, ἐπέσχεν*).

Praeterea haec exstiterunt signa mortis:

ib. 37. 5. *ἐν γὰρ δὴ τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐν ᾗ τὰ πρῶτα αὐτοῦ περὶ τῆς ἀρχῆς γράμματα ἡμῖν ἀνεγνώσθη, περιστερά τις ἐπὶ εἰκόνα Σεουήρου, οὗ τὸ ὄνομα αὐτὸς ἑαυτῷ ἐτέθειτο, ἐν τῷ συνεδρίῳ ἀνακειμένην ἐπέπτατο*

(de aliis signis, quae Dio hoc loco commemoravit, infra apud Diadumenianum referamus)

ib. 40. 4. *Ζεὺς ὁ Βῆλος χρωμένῳ οἱ (Μακρίνῳ) αὐτὸ τοῦτο ἔφη*

'ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί,
σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ἱκάνει' (Zon. XII. 13).

Diadumenianus.

Antonini Diadumeniani vitam nihil memorabile habere, nisi quod Antoninus sit dictus et quod ei stupenda omina sint facta imperii non diutini, Aelius Lampridius affirmat.

Apud Dionem unum invenitur omen imperii, quod supra iam adduximus (Dio Ep. LXXVIII. 4. 1; cf. pag. 66).

Nescio an in ominibus imperii habendum sit, quod Macrinus idcirco filium Antoninum appellavisse videtur, quia, cum olim vates Carthaginiensis octies nomen Antonini ediderit, octo Antoninos exstituros esse homines existimaverunt; sed obscurior verborum contextus apud Capitolinum (Opilius Macrinus 3) est, quam ut clare cognoscere possimus, utrum illa nuncupatio pro omine imperii ducta sit necne.

Stupenda omina imperii non diutini refert Lampridius haec:

Diad. 4. 1. „die qua natus est pater eius purpuras, tunc forte procurator aerarii maioris, inspexit et quas claras probavit in id conclave redigi praecepit in quo post duas horas Diadumenus natus est"

ib. 4. 3. „at iste puer pilleum non habuit sed diadema tenue, sed ita forte ut rumpi non potuerit, fibris intercedentibus specie nervi sagittari"

ib. 4. 5. „in agro patris eius oves purpureas duodecim ferunt natas, quarum una tantum varia fuerit"

ib. 4. 6. „eadem die qua hic natus est aquilam ei constat sensim palumbum regium parvulum attulisse et posuisse in cunis dormienti ac recessisse sine noxa"

„panthagathi in domo patris eius nidum posuerunt"

ib. 5. 1. „his diebus quibus ille natus est mathematici accepta genitura eius exclamaverunt, et ipsum filium imperatoris esse et imperatorem, quasi mater eius adulterata esset, quod fama retinebat“ (ib. 5. 4. „natus est praeterea natali Antonini et ea hora et signis prope concinentibus quibus et Antoninus Pius. quare dixerunt mathematici, et imperatoris illum filium futurum et imperatorem, sed non diu“)

ib. 5. 5. „die qua natus est, quod Antonini esset natalis, mulier quaedam propinqua dicitur exclamasse ‘Antoninus vocetur’“

ib. 5. 6. „cum in cunis esset Diadumenus, et leo ruptis vinculis, ut quidam, ferus effugisset atque ad incunabula eius venisset, puerum delinxit et inviolatum reliquid, cum nutrix se in leonem misisset atque eius morsu adfecta perisset“

ib. 5. 2, 3. „huic eidem aquila pilleum in agro ambulanti tulit et, cum comitum infantis clamor esset factus, in monumento regio, quod iuxta villam esset in qua tunc pater agebat, supra statuam regis posuit, ita ut capiti eius aptaret. quod multi ominosum putarunt et morti adcommodum, clarum autem eventus ostendit“,

quod omen non tam futuri imperii quam mortis signum putatum esse mihi videtur.

Praeterea apud Dionem, cum de Macrini clade, quae illi a deis praenuntiata sit, verba faciat, nonnullas res reperimus commemoratas, quae utrum signa interitus a Dione habita sint, an adductae, quod forte acciderint et quod ex iis Macrini stultitiam cognoscere liceat, dilucide perspicere non possumus. Quae hoc loco referre instituimus, quod, si modo omina habenda sint, ad Diadumenianum magis quam ad Macrinum spectare videntur. Scriptum videmus apud Dionem:

Epit. LXXVIII, 37. 5. *καὶ μετὰ τοῦτο, ὅτε τὰ περὶ τοῦ υἱέος ἔπεμψεν, οὔτε ὑπὸ τῶν ὑπάτων οὐθ' ὑπὸ τῶν στρατηγῶν συνήλθομεν, οὐ γὰρ ἔτυχον παρόν-*

τες, ἀλλ' ὑπὸ τῶν δημάρχων, ὅπερ ἐν τῷ χρόνῳ τρόπον τινὰ ἤδη κατελέλυτο

ib. 37. 6. οὐ μὴν οὐδὲ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐν τῷ τῆς ἐπιστολῆς προοιμίῳ, καίτοι καὶ Καίσαρα καὶ αὐτοκράτορα αὐτὸν ὀνομάσας, καὶ τὰ γραφέντα ὡς καὶ παρ' ἀμφοτέρων ἐπισταλέντα προδηλώσας, ἐνέγραψεν

ἐν δὲ τῇ διηγήσει τῶν πεπραγμένων τῆς μὲν τοῦ Διαδουμενιανοῦ προσηγορίας ἐπεμνήσθη, τὴν δὲ τοῦ Ἀντωνίνου, Καίπερ ἔχοντος αὐτοῦ καὶ ταύτην, παρέλιπεν.

Elagabalus.

Apud Elagabalum non multa occurrunt omina. Priusquam imperator fieret, nonnulla prodigia facta sunt, quae praecipue eius principatum ostendere credita esse mihi videntur, quamquam certe convincere non possumus illis portentis, ut homines arbitrati sint, non omnino cuncta, quae tunc essent facta (Dio LXXVIII. 29. 3 et antea), significata esse. Inveniuntur apud Dionem:

LXXVIII. 30. 1. ἡλίου τε γὰρ ἔκλειψις περιφανεστάτη ὑπὸ τὰς ἡμέρας ἐκείνας ἐγένετο

καὶ ὁ ἀστὴρ ὁ κομήτης ἐπὶ πλεῖον ὤφθη

ἕτερόν τέ τι ἄστρον ἀπὸ δυσμῶν πρὸς ἀνατολὰς τὸ ἀκρυφύσιον ἐπὶ πολλὰς νύκτας ἀνατεῖνον δεινῶς ἡμᾶς ἐξετάραττεν.

Nescio an in ominibus, quae Elagabalo imperium praenuntiaverint, collocandae sint eae praedictiones, quibus, ut ex loco corrupto apud Dionem et ex Zonarae verbis elucet, Eutychianus incitatus est, ut Macrino interfecto Elagabalum imperatorem faceret (Dio LXXVIII. 31. 1, 2; Zon. XII. 13).

Praeterea commemoratum videmus apud Dionem prodigium Romae aetate Elagabali factum, quod hoc loco adducere instituimus, quamquam a scriptore non comperimus, num ad Elagabalum relatum sit:

LXXIX. 10. 1. ἐγεγόνει δὲ καὶ τέρατα ἐν τῇ Ῥώμῃ, ἄλλα τε καὶ ἐκ τοῦ ἀγάλματος τῆς Ἴσιδος, ὃ ὑπὲρ τὸ

ἀέτωμα τοῦ ναοῦ αὐτῆς ἐπὶ κυνὸς ὀχεῖται· τὸ γὰρ πρόσωπον ἐς τὸ ἔσω μετέστρεψεν.

Praesagium mortis reperimus apud Lampridium:

Heliog. 7. 3. Salambonem etiam omni planctu et iactatione Syriaci cultus exhibuit, omen sibi faciens inminentis exitii.

Alexander Severus.

Alexander multa omina et imperii et mortis accepit.

Omina imperii apud Dionem traduntur duo. Cum Dio narraverit Elagabalum imperatorem dixisse se a Deo Elagabalo esse iussum, Bassianum, propinquum suum, adoptare et Alexandrum appellare, pergit in hunc modum:

LXXIX. 17. 3. *καὶ ἔγωγε πείθομαι ἐκ θείας τινὸς παρασκευῆς ὡς ἀληθῶς αὐτὰ γεγονέναι, τεκμαιρόμενος οὐχ οἷς ἐκεῖνος εἶπεν, ἀλλ' ἔκ τε τοῦ λεχθέντος αὐτῷ ὑπό τινος, ὅτι ἄρα τις Ἀλέξανδρος ἐξ Ἐμέσης ἐλθὼν αὐτὸν διαδέξεται*

καὶ ἐκ τοῦ συμβεβηκότος ἔν τε τῇ Μυσίᾳ τῇ ἄνω καὶ τῇ Θρᾴκῃ. ὀλίγον γὰρ τούτων πρότερον δαίμων τις, Ἀλέξανδρός τε ὁ Μακεδὼν ἐκεῖνος εἶναι λέγων καὶ τὸ εἶδος αὐτοῦ τήν τε σκευὴν ἅπασαν φέρων, ὡρμήθη τε ἐκ τῶν περὶ τὸν Ἴστρον χωρίων ... καὶ διά τε τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Θρᾴκης διεξῆλθε βακχεύων ... ἐκεῖ δὲ δὴ νυκτὸς ἱερά τινα ποιήσας καὶ ἵππον ξύλινον καταχώσας ἀφανὴς ἐγένετο.“

Permagnum signorum numerum apud Lampridium commemoratum videmus:

Alex. Sev. 13. 1. „quod ea die natus est qua defunctus vita Magnus Alexander dicitur“ (ib. 5. 2)

„quod in templo eius mater enixa est“ (ib. 5. 1)

„quod ipsius nomen accepit“ (ib. 5. 1)

„quod ovum purpurei coloris eadem die natum qua ille natus est palumbinum anicula quaedam matri eius optulit; ex quo quidem haruspices dixerunt, im-

peratorem quidem illum, sed non diu futurum et cito ad imperium perventurum“

ib. 13. 2. „quod tabula Traiani imperatoris, quae geniali lecto patris inminebat, dum ille in templo pareretur, in lectum eius decidit“

ib. 13. 3. „quod nutrix ei Olympias data est, quo nomine mater Alexandri appellata est“

ib. 13. 4. „nutritor Philippus provenit casu unus ex rusticis, quod nomen patri Alexandri Magni fuit“

ib. 13. 5. „fertur die prima natalis toto die apud Arcam Caesaream stella primae magnitudinis visa“

„et sol circa domum patris eius fulgido ambitu coronatus“

ib. 13. 6. „cum eius natalem haruspices commendarent, dixerunt, eum summam rerum tenturum, idcirco quod hostiae de ea villa quae esset Severi imperatoris adductae essent, et quas in illius honorem coloni parassent“

ib. 13. 7. „nata in domo laurus iuxta persici arborem intra unum annum persici arborem vicit. unde etiam coniectores dixerunt, Persas ab eo esse vincendos“

ib. 14. 1. „mater eius pridie quam pareret somniavit, se purpureum dracunculum parere“

ib. 14. 2. „pater eadem nocte in somnis vidit, alis se Romanae Victoriae, quae in senatu, ad caelum vehi“

ib. 14. 3, 4. „ipse cum vatem consuleret de futuris, hos accepisse dicitur versus adhuc parvulus; et primum quidem sortibus

'Te manet imperium caeli terraeque'

intellectum est, quod inter divos etiam referretur.

'Te manet imperium quod tenet imperium'.

ex quo intellectum est, Romani illum imperii principem futurum“

ib. 14. 5. „ipse autem, cum parentis hortatu ani-

mum a philosophia atque musica ad alias artes traduceret, Vergilii sortibus huiusmodi inlustratus est:

[Verg. Aen. VI. 848.] Excudent alii spirantia mollius aera,
credo equidem, viros ducent de marmore vultus,
orabunt causas melius caelique meatus
describent radio et surgentia sidera dicent:
tu regere imperio populos, Romane, memento.
hae tibi erunt artes pacique inponere morem,
parcere subiectis et debellare superbos."

Praeterea Lampridius, qui etiam alia multa signa principatus fuisse affirmat, haec in futuri imperii signis collocasse videtur:

ib. 14. 6. „nimius ardor oculorum et diutius intuentibus gravis"
„divinatio mentis frequentissima"
„rerum memoria singularis."

Nescio an inter omina imperii enumerandum sit illud omen, quod Lampridius, ib. 4. 6, tradit:

„huic sors in templo Praenestinae talis extitit, cum illi Heliogabalus insidiaretur:
[Verg. Aen. VI. 882.] „Si qua fata aspera rumpas,
tu Marcellus eris."

Mors quoque eius multis prodigiis praenuntiabatur.

Imperatorem non diu futurum esse Alexandrum ovo illo purpureo ostendi haruspices praedixerant (13. 1; cf. p. 71 et 72).

Alia omina mortis fuere haec:

ib. 60. 3. „cum natalem diem commendaret, hostia cruenta effugit et, ut se civiliter gerebat ac permixtus populo erat, albam eius vestem, cum qua constiterat, cruentavit"

ib. 60. 4. „laurus in Palatio eius civitatis a qua proficiscebatur ad bellum, ingens et antiqua tota subito decidit"

ib. 60. 5. „arbores fici tres, quae ficus eas ferrent quibus Alexandrianarum nomen est, subito ante illius

tentorium deciderunt, cum tentoria imperatoria his adnexa essent"

ib. 60. 6. „mulier Dryas eunti exclamavit Gallico sermone: 'Vadas nec victoriam speres nec te militi tuo credas'"

ib. 60. 7. „tribunal ascendit, ut contionaretur et faustum aliquid diceret, et ita coepit: „Occiso imperatore Heliogabalo:"

Qua ratione interficiendus esset, Thrasybulus mathematicus, ei amicissimus, praenuntiaverat, cum dixisset necessitatem esse, ut gladio barbarico periret (ib. 62. 2):"

Maximinus maior.

Nonnulla Maximino oblata sunt et imperii et mortis omina.

Maximinum spem principatus ex compluribus signis duxisse legimus apud Herodianum, VI. 8. 6: *πολλάκις αὐτῷ πρότερον, ὡς ἔλεγε, χρησμῶν καὶ ὀνειράτων τὴν τοσαύτην τύχην προειρηκότων.*

Apud Capitolinum commemorata videmus haec omina imperii:

Max. 30. 1. „serpens dormienti caput circumdedit"

„posita ab eodem vitis intra annum ingentes uvas purpureas attulit et mirae magnitudinis facta est"

„scutum eius sub sole arsit"

ib. 30. 2. „lanceola sic fissa est fulmine ut tota etiam per ferrum finderetur et duas partes faceret. quando dixerunt haruspices, duos imperatores non diuturnos ex una domo isdem nominibus futuros"

ib. 30. 3. „lorica patris eius non, ut solet, ferrugine sed tota purpureo colore infecta a plurimis visa est:"

Signa mortis praeter illud omen imperii non diutini (ib. 30. 2) iam supra commemoratum accepit haec:

ib. 22. 1. „Menofilius ... dicens, etiam deum Belenum per haruspices respondisse, Maximinum esse vicendum"

ib. 31. 1. „venienti contra Maximum et Balbinum Maximino cum filio, mulier quaedam passis crinibus occurrit lugubri habitu et exclamavit: 'Maximini, Maximini', neque quicquam amplius dixit et mortua est. videbatur enim dicere voluisse: 'Succurrite'"

ib. 31. 2. „canes circa tentorium eius in secunda mansione ultra duodecim ulularunt et animam quasi flendo posuerunt ac prima luce mortui sunt deprehensi"

ib. 31. 3. „lupi quingenti simul ingressi sunt in eam urbem in qua se Maximinus contulerat."

Omnia qui scire vellet, ei Cordum esse legendum Capitolinus dicit (ib. 30. 4).

Maximinus minor.

Maximini quoque filius compluria accepit omina.

Ex quibus unum, quod patri filioque imperium sed non diutinum ostenderat, iam supra (pag. 70) adduximus.

Praeterea Capitolinus affert haec:

Max. 30. 4. „cum grammatico daretur, quaedam parens sua libros Homericos omnes purpureos dedit aureis litteris scriptos"

ib. 30. 5. „ipse puerulus cum ad caenam ab Alexandro esset rogatus in patris honorem, quod ei deesset vestis caenatoria, ipsius Alexandri accepit"

ib. 30. 6. „cum infans esset subito per publicum veniente vehiculo Antonini Caracalli, quod vacuum erat, conscendit et sedit et vix aegreque a mulionibus carrucariis deturbatus est"

ib. 30. 7. „nec defuerunt, qui cavendum infantem dicerent Caracallo. tum ille dixit: 'Longe est, ut mihi iste succedat'."

Omina mortis, quae patri oblata sint, etiam ad filium spectare putata esse mihi videntur (cf. ib. 31. 1; i. h. pag.).

Gordianus I.

Omen imperii Gordiano primo factum legimus apud Capitolinum:

Gord. 20. 1. „cum senior Gordianus mathematicum aliquando consuleret de genitura huius (Gordiani alterius), respondisse ille dicitur, hunc et filium imperatoris et patrem et ipsum imperatorem futurum."

Idem omina mortis accepit haec:

ib. 20. 3. „qui (mathematicus) quidem et seni et iuveni et diem et genus mortis et loca, quibus essent perituri, opstinata constantia veritatis praedixit"

Aur. Vict. Caes. 26. „ibi cum (Gordianus I.) avertendis prodigiis, quorum metu haud inane angebatur, rem divinam solitis ageret; repente hostia partum edidit. Id haruspices, atque ipse maxime, nam huius scientiae usu immodice prudens erat, ita accepere, illum quoque destinatum neci, verum liberis pariturum imperium."

Gordianus II.

Gordiano alteri futurum imperium a mathematico praenuntiabatur, ut apud Capitolinum, Gord. 20. 1, legimus, quod omen supra iam adduximus (i. h. pag.).

Interitum quoque ab eodem mathematico praedictum esse scriptum videmus ib. 20. 3 (cf. supra, i. h. pag.). Ceteras mortis praedictiones, quae a patre editae apud Capitolinum (Gord. 19. 5. „illum quandoque in summa claritate cito esse moriturum"; 20. 5. „cantabat ... versus senex ...: Ostendent terris hunc tantum fata sqq." [Verg. Aen. VI. 471 sqq.]) commemoratae inveniuntur, non in ominibus collocandas esse existimo, cum ex illius mathematici vaticinatione (Gord. 20. 3) manasse mihi videantur.

Nescio an in praesagiis, quae interitum Gordiani patris et filii denuntiaverint, habita sit illa ingens tempestas, qua ante proelium Gordianorum exercitus dissipata sit, ut facile a Capeliano devinceretur; attamen cum de hac re per Capitoli-

num certiores non fiamus, rem ita sese habere contendere non possumus.

Gordianus III.

Gordiano tertio quoque ab illo mathematico imperium praedictum est (Cap. Gord. 20. 1; cf. pag. 76).

Aliud omen reperimus apud Aurelium Victorem, quod iam supra enarravimus (Caes. 26. „verum liberis pariturum imperium"; cf. pag. 76).

Ibidem eius interitum praenuntiatum videmus:

> Caes. 26. „progressique coniectu longius liberi

(Aurelius Victor non tres, sed duos modo Gordianos notos habet; Gordianum, quem nos tertium appellamus, Gordiani primi filium esse existimat)

> quoque exitum denunciavere, mitem atque innoxium praefantes fore, ut illud pecus, nec diuturnum tamen subiectumque insidiis."

Signum non diutini imperii tradit Capitolinus:

> Gord. 23. 2. „sed indicium non diu imperaturi Gordiani hoc fuit quod eclipsis solis facta est, ut nox crederetur, neque sine luminibus accensis quicquam agi posset."

Ante bellum Persicum ingens terrae motus ortus commemoratur, qui nescio an non praesagium habitum sit (ib. 26. 1, 2).

Praeterea videtur mihi dignum, ut commemoretur, quod Capitolinus narrat Gordianum seniorem Augusti vultum repraesentasse, filium Pompei, nepotem Scipionis Asiatici, quam rem, quae apud Vulcatium Terentianum legeretur, mirabilem sibi visam esse (Gord. 21. 5); sed pro omine ductam esse eam non adiicit Capitolinus.

Pupienus Maximus.

Pupieno Maximo, qui Gordianis in Africa interemptis una cum Balbino a senatu imperator factus est, imperium prodigio ostentum erat. Traditur apud Capitolinum:

> Max. et Balb. 5. 3, 4. „nato Maximo carnem bubulam, et quidem multam, aquila in cella eorum proiecisse fertur, quae angusto patebat inpluvio, eandemque, cum iaceret neque quisquam adtingere auderet religionis timore, iterum sustulisse et in proximum sacellum, quod erat Iovis Praestitis, detulisse. id eo tempore nihil visum est ominis habere, sed non sine causa factum probavit imperium."

Apud Philippum, Decium, Gallum omina non occurrunt.

Valerianus.

Prodigium Valeriani imperatoris aetate factum, quod aut ad principem aut ad Gallienum Caesarem aut ad utrumque spectat, ab Aurelio Victore traditur:

> Caes. 32. „Eius (Valeriani) filium Gallienum Senatus Caesarem creat, statimque Tiberis adulta aetate diluvii facie inundavit: Prudentes perniciosum Reipub. cecinere, adolescentis fluxo ingenio, quia Etruria accitus venerat, unde amnis praedictus: quod equidem confestim evenit. Nam ... eius pater ... Persarum regis, cui nomen Sapor erat, dolo circumventus, foede laniatus interiit."

Ex scriptoris verbis non clare apparet, utri illud portentum exstiterit. Nam cum ex prioribus verbis elucere videatur creditum esse perniciem rei publicae, quam inundatio significaverit, e Gallieni „fluxo ingenio" originem esse ducturam, postea Valeriani interitum omine memorato praenuntiatum esse comperimus.

Apud Gallienum eosque, qui triginta tyranni nominari solent, nulla inveniuntur omina.

Claudius II.

Claudio Gothico imperium non ostentum erat, sed de suis posteris ille nonnulla omina accepit.

Commagenis, cum imperator factus, quamdiu imperaturus esset, consuluisset, sors talis emersit:

Treb. Poll. Claud. 10. 3. „Tu, qui nunc patrias gubernas oras
et mundum regis, arbiter deorum,
tu vinces veteres tuis novellis;
regnabunt et enim tui minores
et reges facient suos minores."

In Appennino, cum de posteris suis consuluisset, responsum est:

ib. 10. 5. „His ego nec metas rerum nec tempora ponam" [Verg. Aen. I. 278].

Apud Vopiscum, Aurel. 44. 4, legimus etiam Aureliano imperatori cum Gallicanas Dryadas de suis posteris sciscitatus esset, responsum esse nullius clarius in re publica nomen quam Claudii posterorum futurum.

Praesagium non diutini imperii accepit Claudius, cum in Appennino de se consuluisset; nam responsum est:

Poll. Claud. 10. 4. „Tertia dum Latio regnantem viderit aestas" (Verg. Aen. I. 265).

Quintillus.

De Quintillo fratre, qui Claudio mortuo exiguum temporis spatium imperium obtinuit, Claudius, cum in Appenino consuluisset, hoc responsum tulerat:

Poll. Claud. 10. 6. „Ostendent terris hunc tantum fata" [Verg. Aen. VI. 669].

Aurelianus.

Aureliano imperatori multa omina futuri imperii oblata sunt.

Vop. Aur. 4. 3. „(Aureliani matrem) habuisse quin etiam nonnihilum divinationis, adeo ut aliquando marito suo iurgans ingesserit, cum eius et stultitiam increparet et vilitatem:

'En imperatoris patrem'“

ib. 4. 4. „primum pueri eius pelvem serpentem plerumque cinxisse neque umquam occidi potuisse“

ib. 4. 5. „ex palliolo purpureo, quod Soli sui temporis imperator optulerat, sacerdos mulier crepundia filio fecisse perhibetur“

ib. 4. 6. „quod vinctum fasceola Aurelianum aquila innoxie de cunis levaverit et in aram posuerit, quae iuxta sacellum forte sine ignibus erat“

ib. 4. 7. „vitulum matri eius natum mirae magnitudinis, candidum sed purpurantibus maculis, ita ut haberet in latere uno 'ave', in alio coronam“

ib. 5. 1. „rosas in eiusdem mulieris chorte nato Aureliano exisse purpureas, odoris rosei, floris aurei“

ib. 5. 3. „nam ingrediente eo Antiochiam in vehiculo, quod prae vulnere tunc equo sedere non posset, ita pallium purpureum, quod in honore eius pansum fuerat, decidit ut umeros eius tegeret“

ib. 5. 4. „et cum in equum transire vellet, quia invidiosum tunc erat vehiculis in civitate uti, equus est ei imperatoris adplicitus, cui per festinationem insedit“

ib. 5. 5. „data est ei praeterea, cum legatus ad Persas isset, patera qualis solet imperatoribus dari a rege Persarum, in qua insculptus erat Sol eo habitu quo colebatur ab eo templo in quo mater eius fuerat sacerdos“

ib. 5. 6. „donatus eidem etiam elefantus praecipuus, quem ille imperatori optulit, solusque omnium privatus Aurelianus elefanti dominus fuit.“

Haec omina se adduxisse affirmat Vopiscus auctore Callicrate Tyrio, apud quem praeter ea, quae commemoraverit, multa superflua legerit (ib. 4. 2; 5. 1).

Commemoranda sunt nonnulla oracula, quae interitum Palmyrenis et victoriam Aureliano nuntiavere, quorum Zosimus mentionem facit:

Zos. I. 57. τοῖς Παλμυρηνοῖς δὲ χρωμένοις εἰ καθέξουσι τὴν τῆς ἑῴας ἡγεμονίαν, ἔχρησεν ὁ θεὸς οὕτως,

'ἔξιτέ μοι μεγάρων, ἀπατήμονες οὔλιοι ἄνδρες,
φύτλης ἀθανάτων ἐρικυδέος ἀλγυντῆρες'

πυνθανομένοις δέ τισι περὶ τῆς Αὐρηλιανοῦ κατὰ Παλμυρηνῶν στρατείας ὁ θεὸς ἀνεῖλε

'κίρκος τρήρωσιν ἱερὸν γόον ἡγηλάζων,
οἷος πολλῇσιν· ταὶ δὲ φρίσσουσι φονῆα'

ib. 58. τῶν Παλμυρηνῶν τοίνυν ἐν τῷ πρὸ τῆς καθαιρέσεως ἔτει συνελθόντων ἐν τῷ τῆς ἑορτῆς καιρῷ καὶ εἰς τιμὴν τῆς θεοῦ δῶρα χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ ὑφασμάτων κατὰ τῆς λίμνης ἀφέντων, πάντων τε τοῦ βάθους καταδυόντων, κατὰ τὸ ἐχόμενον ἔτος ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἑορτῆς ὤφθησαν αἰωρούμενα πάντα, τῆς θεοῦ διὰ τούτου τὰ ἐσόμενα δηλωσάσης.

Quale responsum Aurelianus tulerit, cum Gallicanas Dryadas consuluisset, num apud suos posteros imperium permansurum esset, iam supra memoravimus (cf. pag. 79).

Apud Orosium signum commemoratum inveni, quod non pro omine mortis ducendum mihi videtur. Legimus, Or. VII. 23. 6: „novissime cum persecutionem adversus Christianos agi nonus a Nerone decerneret, fulmen ante eum magno pavore circumstantium ruit ac non multo post in itinere occisus est." Sed cum neque Vopiscus neque ceteri scriptores aliquid de hoc fulmine nobis tradiderint atque Orosius hoc fulmen accidisse dicat, cum Aurelianus christianos persequi instituisset (cf. etiam Zon. XII. 27), nescio an illud mortis signum postea a christianis fictum sit.

Tacitus.

Omina imperii Tacito facta affert Vopiscus haec:

Tac. 17. 1. „fanaticus quidam in templo Silvani

tensis membris exclamavit: 'Tacita purpura, tacita purpura', idque septimo"

ib. 17. 2. „vinum, quo libaturus Tacitus fuerat in templo Herculis Fundani, subito purpureum factum est"

ib. 17. 3. „vitis, quae uvas Aminnias albas ferebant, eo anno quo ille imperium meruit purpurascere ... plurima purpurea facta sunt."

Signa mortis ab eodem traduntur talia:

ib. 17. 4. „patris sepulchrum disruptis ianuis se aperuit"

„matris umbra se per diem et Tacito et Floriano velut viventis optulit, nam diversis patribus nati ferebantur"

„in larario dii omnes seu terrae motu seu casu aliquo conciderunt"

ib. 17. 5. „imago Apollinis, quae ab his colebatur, ex summo fastigio in lectulo posita sine hominis cuiuspiam manu deprehensa est."

Ex Vopisci verbis ib. 17. 5. „Sed quousque ultra progredimur? sunt a quibus ista dicantur" elucere videtur sciptorem ex magno ominum traditorum numero nonnulla elegisse.

Florianus.

Florianus Tacito fratre mortuo imperator factus est. Inter omina mortis, quae Tacito exstiterint, unum commemoratur, quod etiam ad Floriani interitum spectare videtur (ib. 17. 4; matris umbra et Tacito et Floriano apparens; cf. supra) idque eo magis quod Florianus paucos modo menses post Tacitum occisum et ipse a militibus iugulatus est.

Probus.

Paucis ominibus Probi imperium praenuntiatum est.

Vop. Tac. 16. 6. „quem quidem multi ferunt etiam Sibyllinis libros promissum."

Nescio an illa epistola, quam Aurelianus Probo dederit, pro omine habita sit:

> Vop. Prob. 6. 6. „Ut scias, quanti te faciam, decimanos meos sume, quos Claudius mihi credidit. isti enim sunt qui quadam felicitatis praerogativa praesules nisi futuros principes habere non norunt."

Attamen Vopiscus ipse non ominosam iudicat epistolam, sed talem, ex qua cognosci possit Aurelianum in animo habuisse, Probum successorem suum constituere (ib. 6. 7).

In fine alius epistolae, quam Tacitus Probo misit, Tacitus, postquam honores, quibus Probum affecerit, enumeravit, scribit:

> ib. 7. 4. „te enim manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata"

Vopiscus adiicit: „ferunt quidam, Probo id pro imperii omine fuisse, quod Tacitus scripsit: 'Te manet Capitolina palmata'. sed in hanc sententiam omnibus semper consulibus scribebatur." Unde intellogere nobis licet, si non Vopiscum, tamen multos alios illa Taciti verba pro omine imperii duxisse.

Praeterea apud Vopiscum omen commemoratum invenimus, quod ad Probi posteros spectat:

> ib. 24. 2. „cum imago Probi in Veronensi sita fulmine icta esset ita ut eius praetexta colores mutaret, haruspices responderunt, huius familiae posteros tantae in senatu claritudinis fore ut omnes summis honoribus fungerentur."

Carus.

Omina imperii Carus non accepit. Signum mortis num ei exstiterit, inquirendum est. Legimus apud Aurelium Victorem:

> Caes. 38. „Ubi fusis hostibus, dum gloriae inconsulte avidior, Ctesiphonta urbem Parthiae inclytam transgreditur; fulminis tactu conflagravit. Id quidam iure ei accidisse referunt. nam cum oracula docuissent, adusque opidum memoratum perveniri victoria licere; longius delatus poenas luit" (Oros. VII. 24. 4. „qui

6*

... postquam. ... Ctesiphontem cepit, super Tigridem in castris fulmine ictus interiit").

Flavius Vopiscus negat et fulmine interemptum esse Carum et principem Romanum Ctesiphontem transgredi non posse; neque enim fulmine sed morbo absumptum Carum esse (Car. 8. 3, 7) atque Maximianum Caesarem ultra eos fines progressum Persas vicisse (ib. 9. 3). Sed quamvis Vopiscus ipse, ut est homo minus quam alii superstitiosus, illi oraculo illudat, tamen magnam partem hominum credidisse fulmine Carum atque ob eam causam interemptum, quod illud oraculum neglexisset, ex ipsius Vopisci verbis elucet: ib. 8. 2. „ut alii dicunt morbo, ut plures fulmine interemptus est" et ib. 9. 1. „... quod plerique dicunt, vim fati quandam esse, ut Romanus princeps Ctesifontem transire non possit, ideoque Carum fulmine absumptum quod eos fines transgredi cuperet qui fataliter constituti sunt."

Quare existimo oraculum nostrum in ominibus mortis esse collocandum, quod demonstratum esse arbitror illud ab aequalibus multis pro signo interitus Cari, cum ab eo neglectum esset, ductum esse.

Diocletianus.

Comperimus Diocletianum multa omina imperii accepisse (Vop. Car. 13. 1), e quibus unum a Vopisco (Car. 14. 15) copiosissime explicitur. Legimus apud eum:

> ib. 14. 2, 3. „cum, inquit, Diocletianus apud Tungros in Gallia in quadam caupona moraretur in minoribus adhuc locis militans et cum Dryade quadam muliere rationem convictus sui cotidiani faceret, atque illa diceret: 'Diocletiane, nimium avarus, nimium parcus es', ioco non serio Diocletianus respondisse fertur: 'Tunc ero largus, cum fuero imperator'. post quod verbum Dryas dixisse fertur: 'Diocletiane, iocari noli, nam eris imperator cum Aprum occideris"

(Aprum praefectum praetorio a Diocletiano, cum Augustus appellatus esset, gladio percussum esse satis notum est).

Nescio an pro omine, quod Diocletiano exstiterit, ducendum sit id quod legimus apud Aurelium Victorem:

Caes. 39. „Namque imminentium scrutator, ubi fato intestinas clades, et quasi fragorem quendam impendere comperit status Romani; celebrato regni vicesimo anno valentior curam R. P. abiecit."

Ut facilius perspici possit, qua ratione singula omina in singulos Caesares distributa sint, tabulam posui atque talem ordinem institui, ut

numeris simplicibus significaverim, quot omina sive imperii sive mortis sive rerum aliarum cuique exstiterint,

hisce uncis ( ) inclusis, quantus sit numerus universus ominum traditorum, toties numeratis singulis quoties a scriptoribus commemorata sunt,

talibus uncis [ ] inclusis, quae omina non sine dubitatione ibi posita sint, quo loco a nobis adducantur:

		omina imperii		**omina rer. divers.**		**omina mortis**	
1	Augustus	23	(54)	—	—	8	(15)
2	Tiberius	7	(9)	2	—	7	(12)
3	C. Caligula	2	—	2	(4)	11	(15)
4	Claudius I.	—	—	3	—	8	(15)
5	Nero	3	(5)	17	(22)	13	(14)
6	Galba	11	(18)	—	—	11	(15)
7	Otho	2	(4)	—	—	13	(21)
8	Vitellius	3	—	—	—	12	(16)
9	Vespasianus	18	(39)	—	—	2	(5)
10	Titus	3	(4)	—	—	2	—
11	Domitianus	2	(3)	1	—	17	(23)
12	Nerva	2	(3) [1])	—	—	1	—
13	Traianus	3	—	1	—	2	—
14	Hadrianus	5	—	5	(6)	6	—
15	Helius Verus	—	—	—	—	1	—
16	Antoninus Pius	8	—	15	(17)	—	—
17	Marcus Aurelius	2	(3)	—	—	—	—
18	Commodus	1	—	[12	(17)]	3 aut 15	(7) (24)

1) non tam ad Nervam quam ad totum saeculum insequens spectant (cf. pag. 39).

		omina imperii		omina rer. divers.		omina mortis	
19	Pertinax	2	—	—	—	5	—
20	Iulianus	1	(2)	1	—	3	—
21	Septimius Severus	22	(33)	13	(15)	9	—
22	Niger	1	—	1	—	6	(7)
23	Albinus	5	—	2	—	1	(2)
24	Caracalla	4	—	3	—	13	(16)
25	Geta	1	—	[4]	—	5 aut 9	—
26	Macrinus	4	(5)	—	—	11	(12)
27	Diadumenianus	10	—	—	—	4	—
28	Elagabalus	4	(5)	1	—	1	—
29	Alexander Severus	21	—	—	—	7	—
30	Maximinus I.	5	—	—	—	5	—
31	Maximinus II.	5	—	—	—	[5]	—
32	Gordianus I.	1	—	—	—	2	—
33	Gordianus II.	1	—	—	—	1	—
34	Gordianus III.	2	—	—	—	2	—
35	Pupienus Maximus	1	—	—	—	—	—
36	Philippus	—	—	—	—	—	—
37	Decius	—	—	—	—	—	—
38	Gallus	—	—	—	—	—	—
39	Valerianus	—	—	—	—	1	—
40	Gallienus	—	—	—	—	—	—
41	triginta tyranni	—	—	—	—	—	—
42	Claudius II.	—	—	2	—	1	—
43	Quintillus	—	—	—	—	1	—
44	Aurelianus	10	—	4	—	—	—
45	Tacitus	3	—	—	—	4	—
46	Florianus	—	—	—	—	1	—
47	Probus	3	—	1	—	—	—
48	Carus	—	—	—	—	1	(2)
49	Diocletianus	1	—	1	—	—	—

Si hanc tabulam contemplamur, mentem nostram fugere non potest omina diversissimum in modum distributa esse: permulta inveniuntur apud nonnullos, apud complures perpauca aut omnino nulla; alius magnum numerum signorum imperii, alius multa omina mortis accepit. Utrum forte hunc in modum

distributa sunt omina an ordinem aut rationem quandam constare cognoscere possumus?

Cum in hanc rem inquirere in animo habeamus, primum videndum est, num illi, quos apud singulos Caesares rettulimus, ominum numeri a nobis recte computari potuerint. Atque quod attinet ad qualitatem fontium, ex quibus nostra omina hausta sunt, respiciendum est, nos per illud totum temporis spatium, ab Augusto usque ad Diocletianum, continuationem superstitiose scriptae, ut ita dicam, historiae possidere. Nam aetatem ab Augusto usque ad Alexandrum Severum depinxit Cassius Dio scriptor superstitioni maxime deditus, tempora ab Hadriano usque ad Carum illustravere scriptores Historiae Augustae, qui dicuntur, superstitiosissimi. Cum hi scriptores omnes ominibus atque prodigiis permultum tribuerint, arbitror nos satis diligenter atque copiose de ominibus et prodigiis, quae per illud totum temporis spatium evenerint, certiores esse factos, exceptis tantum eis, quae fortasse Philippi, Decii, Valeriani temporibus acciderint, cum Historia Augusta ab anno 244. usque ad annum 260. partim depravata partim deperdita sit. Quod saepius legimus apud scriptores: „Praeterea multa alia accepit omina“ sive tale quid, videre licet non omnia omina, quae animadversa sint, nobis esse tradita, sed non est dubitandum quin scriptores celeberrima atque notissima nobis nuntiaverint; quin etiam, si a scriptoribus non commemoratur se gravissima modo omina elegisse, leviora neglecta esse arbitror. Cum res ita sese habeant, existimo illis ominum numeris, quos apud singulos Caesares adhibuimus, admodum certis et, quibus fidem habere liceat, uti nos posse.

Non sum conaturus exponere, quomodo singula omina apud singulos Caesares orta sint, aut demonstrare, qua de causa non plura vel pauciora omina principi cuique exstitisse tradantur, quam totidem, quot apud quemque reperiantur; sed, cum omina tam impariter distributa sint, concludere licet hominum animos nonnullorum principum temporibus magis fuisse idoneos ad omina et prodigia animad-

vertendum et respiciendum, quam aliis temporibus.

Videamus, num de causis, quibus hoc effectum sit, aliquid enucleare possimus [1]).

Plurima omina imperii reperimus apud Augustum (23 [54]), Galbam (11 [18]), Vespasianum (18 [39]), Septimium Severum (22 [33]), Alexandrum Severum (21). Ex quibus tres atque ii, apud quos plurima et celeberrima occurrunt omina, aliquid commune habent, nam et Augustus et Vespasianus et Septimius Severus post maximam totius imperii perturbationem rem publicam refecerunt et quasi novum omnium rerum statum constituerunt. Cumque hi omnes non tam nixi legitimo quodam iure, quam vi et armis, aemulis debellatis, principatum adepti essent atque idcirco maiestas quaedam et sanctitas eorum imperio deesset, factum est magno ominum, quae illis regnum ostendissent, numero, ut illud non proeliis et caedibus paratum, sed deorum, qui voluntatem suam prodigiis et ominibus manifestavissent, opera et gratia exstructum videretur (cf. quid Treb. Pollio de Claudii posteris, Constantio et Constantino, dicat, Claud. 10. 1: „exprimenda est sors quae Claudio data esse perhibetur Commagenis, ut intellegant omnes, genus Claudii ad felicitatem rei p. divinitus constitutum“ et enumeratis imperii signis, ib. 10. 7: „quae idcirco posui ut sit omnibus clarum, Constantium divini generis virum, sanctissimum Caesarem et Augustae ipsum familiae esse et Augustos multos de se daturum“). Huc accedit, quod horum Caesarum successores eadem gente nati magno ominum numero carent, nam C. Caligulae 2, Claudio nulla, Neroni 3 (5), Tito 3 (4), Domitiano 2 (3), Caracallae 4, Getae 1 obvenerunt omina.

---

1) Manifestum est etiam alias causas, quibus efficiebatur, ut homines certis temporibus libentius signa respicerent, quam aliis (cf. Tac. hist. I. 86 „... et plura alia, rudibus saeculis etiam in pace observata, quae nunc tantum in metu audiuntur“) exstitisse et posse reperiri, atque eae, quas paginis insequentibus demonstravimus. Sed hanc rem tum demum accuratius et uberius tractaturi sumus, cum etiam ceterorum ominum eorumque, quae ante Caesarum tempora observabantur, rationem habere possumus.

Cuius rei causam esse existimo, quod illis, qui quasi legitimo iure posterorum successerint, ominum auctoritate ad firmandum regnum non opus fuerit. Quod Tiberius admodum multa (7 [9]), accepit, nescio an ille magis aequalis et socius Augusti, qui una cum eo imperium constituerit, quam eius successor, habitus sit. Galbae ob eam maxime causam, ut opinor, tot imperii signa, 11 (18) facta traduntur, quod primus vir privatus, ut ita dicam, fuerit, qui arripuit principatum, usque ad illud tempus a gente Iulia, Iulii Caesaris et Augusti progenie, obtentum. Nescio an apud Alexandrum Severum idcirco tantus ominum imperii numerus, 21, animadversus sit, quod aequales concupiverint illum optimum et carissimum imperatorem virum existimari, cui dei maxime propitii fuissent [1]).

Cum a Maximino usque ad Diocletianum multo pauciora inveniantur omina, quam prioribus Caesarum temporibus, dignum memoratu est, quod plurima signa imperii, 10, occurrunt apud Aurelianum, imperatorem maximum, cui propter merita in rem publicam cognomen, 'Restitutori Orbis' ab aequalibus et posteris impositum est.

Apud pessimum contra et odiosissimum quemque principem permulta mortis omina reperiuntur. Quibus interitus plurimis signis ostendebatur, sunt hi: Caligula, qui 11 (15); Nero, qui 13 (14); Galba, qui 11 (15); Otho, qui 13 (21); Vitellius, qui 12 (16); Domitianus, qui 17 (23); Commodus, qui 15 (24); Caracalla, qui 13 (16); Macrinus, qui 11 (12) omina mortis accepit. Caligulam, Neronem, Vitellium, Domitianum, Commodum, Caracallam pro scelestissimis Caesaribus ductos esse inter omnes constat. Quod etiam apud ceteros tres tantus prodigiorum numerus occurrit, nescio an mirum videatur; sed cum Galba iusto parciorem se praebuisset, Otho sodalis et amicus Neronis fuisset, Macrinus sordido loco natus esset (cf. Dio LXXVIII. 11. 1. ὁ δὲ δὴ Μακρῖνος τὸ μὲν γένος

1) cf. quid apud Aurelium Victorem, Epit. 27, de Traiano dictum sit: „in remedium tantorum malorum divinitus credebatur oportune datus; usque eo, ut adveniens imperium eius pleraque mirfiica denuntiaverint."

Μαῦρος . . . γονέων ἀδοξοτάτων ἦν, ὥστε καὶ σφόδρα εἰκότως αὐτὸν τῷ ὄνῳ ἐς τὸ παλάτιον ὑπὸ τοῦ δαιμονίου ἐσαχθέντι εἰκασθῆναι. τά τε γὰρ ἄλλα καὶ τὸ οὖς τὸ ἕτερον κατα τὸ τοῖς πολλοῖς τῶν Μαύρων ἐπιχώριον διετέτρητο. cf. etiam Capit. Macr. 14), eos magno fuisse odio aequalibus apparet; praeterea respiciendum est illos tres principes tam exiguum temporis spatium imperium obtinuisse, ut non tam imperatores, quam tyranni existimarentur.

Videmus plurima omina animadversa esse illis temporibus, cum talia evenissent, qualia non sine cura deorum accidisse homines cuperent.
